N. C. KIST

ORATIONES.

NICOLAI CHRISTIANI KIST,

Theologiae Doctoris ac Professoris in Academia Lugduno-Batava Ordinarii,

ORATIONES,

QUAE ECCLESIAE REIQUE CHRISTIANAE SPECTANT HISTORIAM,

QUATUOR.

LUGDUNI BATAVORUM,
apud E. J. BRILL.
Academiae Typrographum.

1853.

CONTENTA.

ORATIO DE PROGRESSIONE INGENII HUMANI IN DOGMATUM HISTORIA CHRISTIANORUM ANIMADVERTENDA; HABITA D. IX M. OCT. A. MDCCCXXIII. . . . . P. 1.

ORATIO DE ECCLESIA GRAECA DIVINAE PROVIDENTIAE TESTE; HABITA D. XV M. DECEMBRIS A. MDCCCXXVII. . . . . » 25.

ORATIO DE INCHOATA, NECDUM PERFECTA, SACRORUM EMENDATIONE; HABITA D. VIII M. FEBRUARII A. M. DCCCXXXVII. » 47.

ORATIO DE RELIGIONIS CHRISTIANAE INDOLE PRACTICA, UTI ANTEA SEMPER SIC OMNINO HODIE, MULTUM NEGLECTA; HABITA D. IX M. FEBRUARII A. MDCCCLII. . . . . . » 85.

ORATIO

DE

PROGRESSIONE INGENII HUMANI IN DOGMATUM HISTORIA CHRISTIANORUM ANIMADVERTENDA;

HABITA D. XI. OCTOBRIS A. MDCCCXXIII,

AD PROFESSIONEM HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET DOGMATUM CHRISTIANORUM EXTRAORDINARIAM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA AUSPICANDAM.

Constat inter omnes, qui de rebus divinis humanisque apte judicant, religione quam profitemur Christiana, nihil esse mortalibus datum aut majus aut praeclarius. Hinc enim non tantum bene vivendi, sed bene item moriendi principia et nobismet ipsis ducimus et aliis impertimur. Et cum vel levius perspecta hujus religionis egregia indoles, quam sit aptissima doceat, ut humaniora quaevis in homine studia excitet, alat, confirmet: cum naturâ ipsa suâ valeat ut gentes emendatiores reddat felicioresque, illasque communi cunctas amoris vinculo junctas in unam familiam quasi congreget: sane non possumus non beatum praedicare mortalium genus, cui tot tantaque largitus sit omnium rerum auctor et moderator Deus.

Uti autem Christianae religionis indolem considerantes, summa nos tenet divinae illius praestantiae veneratio, ita rationem ejus non minore prosequimur admiratione, quâ tota est ad simplicitatem composita. Sive enim doctrinam spectamus, quam hominibus tradiderunt Jesus ejusque Apostoli: omnium est illa captui accommodatissima. Sive quaerimus de vitae morumque praeceptis, quae illâ continentur doctrinâ: tradi haud possunt evidentiora aut simpliciora. Sive tandem forma agitur, qua singula haec mortalibus sunt proposita: plena est exemplorum et comparationum quae maximam partem ex naturae observatione et vita communi sunt desumta. Quamobrem vere contendimus, in summa et gravitate et sublimitate, parem esse religionis Christianae simplicitatem.

Quodsi dogmatum respiciamus historiam, quae et formâ varia et numero fere infinita in Ecclesia invaluerunt, parum abest, quin simplicitas illa doctrinae, quam celebramus, desideretur tota. Testis est haecce, quantopere a pristina disciplinae puritate et sinceritate discesserit, quae omni tempore fuit Religionis Christianae conditio. Religionem nobis ante oculos ponit fluctuantem perpetuo et hominum studiis commaculatam, qui se vel sic tamen illius causam optime agere sancteque vindicare credebant. Refert, nescio quas, luxuriantis ingenii fictiones, inanes illas et subinde absurdas, sed pro Christianae doctrinae placitis ventilatas. Incredibilem fere spinosarum et maxime exilium quaestiuncularum vanitatem exhibet, maximamque disputationum intricatissimarum copiam. Longam recenset variarum de religionis doctrina opinionum seriem. Et vero dissentientium, haereticorum, schismaticorumque tam infinita ac horrida commemorat nomina, ut vel capacissimâ homo memoriâ praeditus, vix illa valeat capere.

Mirum igitur nobis accidere non potest, si reperiantur quamplurimi, qui dogmatum Christianorum historiam rudem vocent indigestamque molem: qui disciplinae hujus tractationem ut infructuosam, ut molestam certe taediique plenissimam, fugiendam sibi ac derelinquendam putent. Haud mirum si silvae illam comparent densissimae spinisque repletae, per quam nulla reperiatur via, e qua exitus pateat nullus.

Quodsi autem res sese ita haberet, foret hoc deplorandum prosus, tum aliis, quorum interest religionis, quam profitentur, cognoscere fata, tum iis maxime, qui in Theologiae disciplinas incumbunt. Ad Theologum enim formandum prudentem simul et vere liberalem, dogmatum historiae studio quid esse utilius, quid efficacius potest?

Verum qualescunque tandem sint rei utilissimae difficultates, haud tamen sua caret suavitate. Facile quis ingenti illa dogmatum, sectarum, haeresiumque multitudine obrutus

ac veluti circumseptus, in Daedali quasi labyrintho oberrare se credat, ut quo se vertat, quomodo se inde expediat, ignoret prorsus. Verum dux nobis adest et comes, qua ad exitum facile perveniamus, ingenii humani consideratio. Haud forte et casu exstiterunt varia illa variorum temporum placita, sed hominem habuerunt auctorem, qui aliis temporibus alia appeteret, alia cogitaret et tenderet summa ope, quamvis labens subinde, ad conditionem meliorem. Haec humani ingenii contemplatio veluti filum nobis tradit, quod si arripiamus, ecce, via nobis patebit, qua laeti atque securi omnem locum pervestigemus.

Quandoquidem igitur mihi deinceps tradenda erit quoque dogmatum historia Christianorum, illud inprimis curae erit cordique, ut hanc disciplinam, quae multis displicet, pro viribus et vere exponam et exhilarando commendem. Et cum auspicaturo mihi professionem hancce, publice dicendi necessitas sit imposita, haud inepte me acturum existimavi, si verba facerem: *de progressione ingenii humani, in dogmatum historia Christianorum animadvertenda.*

In quo argumenti delectu, ut vereor fere A. A. ne materiem sumserim viribus meis majorem, ita spem pono omnem in humanitate vestra. Illud enim vos enixe rogatos velim, ut faciles aures juveni praebere dignemini, illiteratis, non amplissimis doctissimisque viris, patrio sermone, nec latino dicere solito, quemque ad pudorem movet tantorum adspectus virorum, quibus novus ego orator in honorificum huncce locum, non sine magno quodam animi tremore escendi.

Istiusmodi est fere ingenii humani ratio, ut variis, quas percurrit, aetatibus, varias emittat atque explicet facultates.

Quam primum homo ex pristino illo torpore quasi evigilare coepit, ducitur continuo mira *phantasiae* vi. Ea cuncta sum-

mo studio attendit et contemplatur, quae sunt extra se posita, quaecunque vel magna sunt vel mira vel illustria. Coelum, astra, nubes adspiciens, in sublimia ista se suasque res transfert. Phantasia ipse sua decipi amans, faciem in luna agnoscit humanam, in nubibus gigantes fingit secum invicem contendentes, ubivis hominum animaliumque formas reperit, lucis adeo palatium sibi cernere videtur, et quaerit de illustribus his omnibus, quasi reapse adessent. Sic nescio quae sibi fingens et somnians, in quosvis ingenii lusus, ipsi dulcissimos quidem sed inanes, abripitur.

Sed labitur aetas, sensimque a fingendo ad *cogitandum*, a vagis istis contemplationibus, quibus adhuc indulserat, ad certiorem ingenii usum progreditur homo. Viget jam ratio, majoresque in dies accipit vires judicium. Hasce usurpare facultates et exserere et ostentare gestit. Non meditando aut fingendo unice delectatur, sed mente disquirere amat, dijudicare, ratiocinari. Indagandi oritur acerrimus ardor, disputandi summa cupido, ut sciscitando, rimando, disputando, nihil fere intactum relinquat.

In his autem omnibus, ut aetate progreditur homo, ita majus quid deinceps et gravius expetit. Quaecunque vel didicit vel ratiocinando est assecutus, haec magis magisque in usus tentat convertere suos. A cogitando disserendoque ad *agendum* traducitur. Inanes vocat disputandi argutias et subtilitates, quibus longe praefert, quae vere sunt utilia et hominum vitae accommodata. Experiri ipse gestit, quid valeant humeri, quid ferre recusent.

In hacce ingenii humani progressione accedere cernimus hominem ad illam mentis animique conditionem, cui a natura destinatus est; nec tamen pervenit eo, nisi *maturâ aetate*. Plenae sunt errorum, quas hactenus concepit de negotiis gravioribus opiniones. Nam specie contentus, rem ipsam non penitus studuit cognoscere. Nunc vero ad judicii adductus ma-

turitatem, *verum* in omni caussa et appedit vehementer et unice sequitur. Et sane nunc demum ducitur sensu morali, ut non exquirat quid prosit aut conducat, sed quid justum sit et bonum. Effert se ita homo ex angustiis quibus hactenus fuit repressus. Conscendit quasi arcem,

Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, et humiles possit contemnere curas.

Imo vero, quod maximum est humanae perfectionis indicium, omnibus prodesse mortalibus studet, quippe haud sibi se natum existimans, sed toti generi humano.

Hominem ita sumus contemplati per varias aetates ad perfectiorem continenter conditionem progredientem. Eo jam procedit oratio nostra, ut similis quaedam humani ingenii progressio, num in doctrinae Christianae forte commutationibus pateat, videamus. Quam si disquisitionis nostrae confirmet eventus, profecto erit quod gaudeamus. Certa enim sic nobis via patebit, qua per multas illas spinas tricasque, quibus referta est dogmatum historia Christianorum, haud injucunde progrediamur.

Age igitur A. A. varias illas commutationes lustremus, quas vario aevo Christianae religionis dogmata subierunt. Non ea quidem ratione, ut accuratam vobis absolutamque exhibeamus variarum de religione sententiarum, haeresium, quae dicuntur haereticorumque expositionem. Sane longum hoc esset et vereor vehementer ut gratus sic vobis forem narrator. Illud vero agendum, ut summis quibusque leviter decerptis, dogmatum praecipuorum quaenam singulis temporibus pecularis fuerit ratio intelligamus. Sic nimirum uniuscujusque aetatis, quae in dogmatum historia observatur, proprius veluti character sese nobis spectandum praebebit. Et vero sic eo adducemur, ut de ingenii humani progressione, si quae in illis pateat, rite judicemus.

Ex quo tempore religionis Auctor Christianae, quique eum secuti sunt Apostoli, hancce religionem hominibus tradiderunt, dogmatibus quibus constabat, verissimis illis ac simplicissimis, vel aliam subinde formam dederunt Christiani, vel alia adjunxerunt. Et primum quidem illae nobis Christianae doctrinae commutationes observandae occurrunt, quas mox, postquam inter homines Christi religio prodiit, in ipsis illis subiit terris, in quibus primum orta fuit divinitus et propagata. Exstiterunt nimirum in orientalibus tractibus Christianorum sectae quamplurimae, auctoribus Simone Mago, Cerintho, Saturnino, Basilide, aliis, quae omnes, cum ad sua maxime studia Christianae doctrinae componerent placita, ingenio indulgentes, hujus in dogmatum historia expressa reliquerunt vestigia. Atqui haec talia sunt, ut, licet singularum singulas inquirere sententias difficillimum sit, omnium tamen communis veluti color et habitus a mira quadam ducatur phantasiae vi. Sive enim Asiaticos illos Gnosticorum spectes decessores, sive Alexandrinorum Gnosticorum familias varias, sive Manichaeos longe lateque diffusos: ecquid omni studio et meditari et animis veluti intueri illos observas? Illud maxime, quod ad divinam naturam, ad coelestia quaevis, ad res ante hunc orbem conditum gestas, ad mundi hujus primas origines, ad hominum et animarum ortum, ad mali caussam, ad negotia omnino ab homine remotissima, pertineat. Quid memorem infinitam illam spirituum sive Aeonum seriem, quos in Pleromate collocabant tamquam sede praecipua, sed distribuebant per sidera, per totam rerum naturam, per innumeros, quos somniabant, coelos? Ipsi adeo sectarum conditores se esse Aëones contendebant, divina sapientia praeditos et coelitus in hanc terram demissos, ut coelestia docerent homines. Imo vero phantasiâ elati eo processerunt audaciae, ut discederent plane a doctrinae Christianae praeceptis, et novam inducere religionem viderentur. Quod cum alii tentarunt, tum omnium

maxime Manes, qui idem spectasse videtur, quod suscepit deinceps et perfecit Mohammedes.

Qua via processit generis humani cultus, eâdem progressa est religio Christiana. Ex orientalibus terris in Graeciam propagata, delata est deinceps in Italiam, ac pervenit tandem ad gentes Germanicas, per Europam mediam et superiorem distributas. Haec igitur via et nobis jam porro est tenenda: et vel fallor, vel patebit ita nobis, quam paullo ante adumbravi, ingenii humani progressio.

Misceri coeperant Graeci post Alexandri tempora cum populis orientalibus, ut eorum placita sensim paulatimque orientalem induerent habitum. Quo factum, ut quae, primis Ecclesiae seculis, Graecorum exsistebant Christianorum sectae, confunderentur fere cum Christianis Aegyptiis et Asiaticis. Verumtamen quo magis deinceps Graeci dogmata descripserunt et definiverunt, ita suum veluti characterem evidentius prodiderunt. Alius ita ortus est doctrinae Christianae tractandae modus. Repudiantur jam inania illa orientalium somnia, quibus succedunt disquisitiones subtiliores. Inquiritur, exploratur, definitur, explicatur, dijudicatur. A fingendo ad ratiocinandum, a vagis contemplationibus ad certiorem proceditur cogitandi disserendique normam. Neque phantasia est, quae in dogmatum Christianorum historia ubivis dominetur; adest vero altera veluti dogmatum rectrix atque moderatrix, ratio.

Exstiterunt nimirum a medio inde secundo saeculo magni in Ecclesia viri: Justinus Martyr, Athenagoras, Pantaenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, religionis doctores sua quisque laude celebres atque praeclari. Hi summo ducti disceptandi philosophandique studio, haud ferebant audaces illos insanosque phantasiae lusus, luxuriantisque figmenta ingenii, quae in Christianam doctrinam absque judicio illata videbant. Philosophiae secuti rationem, diligenter et subtiliter capita exposue-

runt doctrinae Christianae. Et cujus fundamenta Origenes jecerat Theologiae philosophicae, haec sensim deinceps ita est exculta, ut aedificii instar exsurgeret et plurimorum postea ingenia adverteret atque exerceret. Quodsi lites respicimus et controversias, quae hoc omni tempore Graecam conturbarunt Ecclesiam, Monarchianorum, Arianorum, Apollinaristarum, Nestorianorum, Monophysitarum: negemus facile, ullo tempore vehementius sectatos esse Christianos ratiocinandi disputandique subtilitatem.

Multum sane abest, ut perveniretur ita ad auream illam simplicitatem, quâ mirum in modum se nobis commendat religio Christiana. Verumtamen quae maximo ardore tunc tractabantur dogmata, propius haec spectarunt rem Christianam, quam quae agitari ab orientalibus solebant. Haud ita quaerebatur de coelorum numero, de Angelorum auctoritate et honoribus, de Aeonibus et Pleromate; verum referebantur fere disquisitiones omnes ad ipsum Θεάνθρωπον, cujus divinam humanamque naturam explorare nitebantur omni studio et definire.

Patet ita nobis, A. A. ut in singulari quoque homine, *sic* in Christianorum placitis et disquisitionibus, phantasiae lusibus successisse ratiocinandi diligentiam. Quod autem observavimus, hinc fere procedere hominem ad rationem pragmaticam, quae tricas illas mittat et spinas disputationum, vitam autem spectet communem et utilitatem, haec, ni fallimur, ingenii humani progressio in Ecclesia cernitur Latina. Minus illic investigantur res sublimiores et divinae, majore animi contentione de rebus disquiritur humanis. De naturâ agitur humanâ, de ejus corruptione, de libero hominis arbitrio. Haud Theologia illic aut Christologia acute exponitur; summo vero studio de moribus quaeritur regundis. Non id maxime hominum animos tenet et quaeritur, ut, quid de abtsrusioribus doctrinae partibus credendum sit statuatur; sed vero ut pateat, quid e religionis placitis homini agendum sit ac praestandum. Ad Ec-

clesiae, quae vocatur, disciplinam disquisitiones et controversiae referuntur tantum non omnes, quam vindicarunt certatim principes in occidente viri, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus. Sic ad vitae usum jam magis componitur religionis doctrina. Sic theoreticae Graecorum rationi, practica succedit ratio, ut ista indagentur potissimum, quae ad hominem ejusque conditionem, cum privatam, tum publicam, pertinent.

Haec autem si consideramus, A. A. est profecto quod humanii ingenii in dogmatum historia progressionem agnoscamus. Nam si luxuriantis phantasiae fictiones sophisticasque disquisitiones pragmatica jam exceperit doctrinae tractandae ratio, quid quaeso illius in melius commutatae conditionis luculentius esse indicium et testimonium potest?

Ne vero putetis in doctrinae Christianae exploratione usuque, quo perveniendum esset, humanum jam ingenium processisse. Caveamus ne de Latinae Ecclesiae proposito tam magnifice existimemus. Conatum cernimus, ut ad vitam hominum emendandam accommodaretur Christi disciplina; sed leviorem illum deprehendimus et ferme irritum. Et vero quorsum processit sensim Latinorum illa in practicam rationem propensio? Eo nimirum ut externa unice curans, propriam saluberrimae religionis indolem fere totam negligeret. Angustis finibus continebatur doctrina moralis omnis. Non quaerebatur quid Deo, quid hominibus; sed quid Ecclesiae esset praestandum. Imo vero quid agendum esset, quid non agendum, non oraculorum divinorum, sed Ecclesiae, sed Pontificis Romani statuebatur auctoritate.

Amplam jam confecimus A. A. itineris nostri partem, in quo tetendisse vidimus Christianos ad meliorem doctrinae Christianae rationem: quamquam longe abesset, ut vim ejus omnem et ubertatem animis perciperent. Jam vero, relictis Christianis

Orientalibus, Graecis et Latinis,

Magnus ab integro rerum mihi nascitur ordo.

Procedendum in Europae partes superiores, ad populos Germanicos, qui Romano subacto imperio, superatarum gentium cum mores tum sacra accipientes, in Ecclesiae prodierunt scenam et partes in ea egerunt maximas. Hic vero dicat quis: tu qui in dogmatum historia humani ingenii progressionem exploras, tune igitur nos tandem ad Gothos, Vandalos, Normannos et ferocissimos quosque populos abducis? Siccine nobis via patebit ad cultum et humanitatem? Fateor A. A., incultis hisce invalescentibus populis, ruisse in deterius cuncta. Salva quidem mansit Christianorum Ecclesia, quippe cujus externam maxime formam satis firmam et splendidam reddiderat Latinorum praecipua vel unica cura ac sollicitudo. Ipsius vero religionis vera ratio atque vis fere periit omnis. Longe enim lateque dominabatur barbaries, nihil non, quod Graeci Romanique supererat cultus, summo furore davastans. Tantaque omnium occupaverat mentes superstitio, ut nihil esset tam ineptum, tam nihil absonum, quod non modo non acciperent hujus aevi Christiani, sed vero tamquam divinum venerarentur omnique prosequerentur honore. In his omnino aevi medii procellis et tempestatibus, tam deformis facta est et horrida pulcerrimae religionis conditio, ut Glauci simulacro esset simillima, cujus pristinam formam decusque aestuantis maris detriverant fluctus.

Quid igitur? Caussâ cecidimus, quam agere et vindicare sustinuimus? Hicne desinit ita humani ingenii illa progressio, quae in dogmatum histora hactenus nobis patuit? — Illi hoc credant, qui res humanas parum perspicientes, haud observarunt, torpere subinde humanum ingenium, quando novas interim vires colligit, quo efficacius postea ad summa omnia contendat. Illi sic existiment, quos neque Taciti libellus, neque

Ossiani sublimia carmina docuerunt, fuisse jam id temporis in gentibus hisce provectioris cujusdam, ad virilem maturitatem jam adsurgentis, ingenii semina. Et vero explicuerunt se sensim praeclara quaevis, quae in illis dominabantur studia. Haec in ipsa medii aevi barbarie mirabiliter eluxerunt in expeditionibus sacris, in caussa imprimis equestri, quae nil non generosum et magnanimum spirabat, et tota spectabat ad vindicandum honorem, justitiam, humanitatem, religionem. Quid quaeris? Eadem haec provectioris ingenii studia ad emendandam valuerunt depravatam sacrorum conditionem. Exstiterunt, in Germanica maxime Europa, liberioris animi homines, acerrimo melioris cujusdam rationis desiderio ducti, qui Hierarchiae resistere et morum corruptelae doctrinaeque Christianae depravationi, suo quisque more, medelam afferre tentarent. Ne dicam de Valdensibus, qui pristinam doctrinae Christianae cum simplicitatem tum dignitatem restaurare nitebantur: fuit inprimis patria nostra, per omnia fere saecula verae libertatis fautrix ac sedes, hisce quoque temporibus, obscurissimis licet, sectarum Christianam libertatem vindicantium ferax. Sit ita, a mysticismi labe haud fuisse, immunes vel Tanquelini sectatores, vel Fratres et Sorores liberi spiritus, vel Homines intelligentiae, qui dicebantur: hoc certe flagrabant desiderio omnes, ut melior Christianae religionis induceretur conditio: quam quantopere promoverint Fratres inprimis, qui a vita communi nomen habent, Daventrienses, omnibus notum est. Nec vero defuerunt in aliis Europae Germanicae tractibus, qui caussam susciperent veritatis atque justitiae, in quibus maxime Wiclefus et Hussus atque utriusque sectatores, qui illud tentarunt frustra, quod peregerunt deinceps feliciter Ecclesiae Christianae restauratores.

In illa jam disquisitio nostra nos detulit tempora, quae uti omnium maxime memorabilia sunt in hominis ad humanitatem procedentis historia, ita ad nostram inprimis, quam sumsimus,

caussam et explicandam et fulciendam egregie valent. Memoro gravissimum illud, maximisque rerum eventibus clarum et distinctum temporis spatium, quod seculo quinto et sexto decimo continetur. Expergiscuntur et veluti reviviscunt Europaeae gentes e longe sopore, qui mortis instar, per decem fere secula omnes occupaverat. Nova vita, novae vires ubivis apparent, ubivis sese exserunt, magna omnia et inaudita perficiunt. In hisce ipsis viciniis nostris, divina reperitur ars typographiae, cujus vim et auctoritatem in literas et doctrinas, in cultum et humanitatem, in universum humani generis commercium nuper celebravit nostrorum temporum orator summus. Diffunditur per universam Europam, quod hucusque Constantinopoli asservabatur Graecarum literarum doctrinarumque lumen. Novae reperiuntur orbis terrarum partes, et mercaturae opportunitate mutuo junguntur commercio populi, a se invicem remotissimi. Scholae inprimis et academiae conduntur ubivis et florent, quae humanitatem et liberalitatem, una cum literis et disciplinis, in omnes partes propagant. Opponitur quidem et resistit praeclaris hisce conatibus degenerata illa Ecclesiae Latinae indoles; sed prodeunt identidem in certaminis scenam magni in quovis doctrinarum genere viri, e quibus, omnium instar, nominasse sufficit nostrae patriae decus, Erasmum Roterodamensem; qui quantum contulerit scriptis, ut nova invalesceret et stabiliretur cum ceterarum rerum, tum inprimis religionis ratio, omnes norunt et fatentur.

Dubius manet aliquamdiu magni hujus certaminis exitus. Deëst enim certum definitumque, quod peragatur, propositum. Desiderantur inprimis qui ceteris omnibus, ad meliorem conditionem adspirantibus, duces se praebeant et propugnatores. Adest vero Lutherus. Adest vir ille ingens et omnia efficere nitens, quae praeclare animo praeparasset; pietate, virtute, libertatis amore, animi fortitudine, constantia, vigore, audacia incomparabilis prorsus. Exoriuntur una cum Luthero

Zwinglius, Melanchton, Calvinus, veritatis, justitiae, libertatis, doctrinarum, religionis prudentiores etiam simul atque fortissimi vindices. Quos ut duces sunt nacti generosissimae quique indolis homines, inaudita illa exstitit et stupenda rerum commutatio, qua, sublatis quibusvis barbariei, ignorantiae, superstitionis teterrimis naevis, pristina instaurari coepit Christianae religionis conditio. — O praeclaram praeclarissimae caussae victoriam, cui uni nos maxime debemus et cogitandi agendique libertatem, et quicquid praesidii, quicquid solatii Religio nobis praebet Christiana!

Et haec quidem nobis reputantibus A. A., dubium videri non potest, quin deprehendatur in societatis Christianae historia ingenii humani ad meliorem conditionem progressio. Sed haud sufficit nobis, haec ita universe observasse: animadvertenda sunt insuper peculiaria quaedam et plane singularia, quae sacrorum restaurationi fuerunt propria.

Quo diligentius attendimus Christianorum placita sive Orientalium, sive Graecorum, sive etiam Latinorum, eo magis mirari subit, ut discesserint plane a religionis Christianae indole et proposito. Minus quidem curarunt Graeci spiritus illos coelestes, quibus delectabantur Orientales; minus indulserunt Latini argutiis et subtilitatibus, quibus toti tenebantur Graeci; verumtamen propugnabant omnes magis dogmata quae invenerant, quam religionem ipsam, et nubem plane, quod proverbio dicitur, pro Junone amplectebantur. In Platonis de Republica libris spelunca occurrit, in qua homines habitare finguntur, rerum omnium in superioribus regionibus nil adspicientes, nisi umbras, quae in adversa speluncae parte cernuntur et se movere videntur. Umbras hasce ipsas esse res existimant, earumque formam, motum, vicissitudines diligenter attendunt: imo vero disputant de iis graviter et rixas subinde atrocissimas instituunt, nescii videlicet, de umbris se disputare, res ipsas ignorare prorsus. Simile fuit negotium Eccle-

siae Christianae, antequam ex tenebris medii aevi expediret Christianos Lutherus. Nunc vero spernuntur quaecunque a doctrina Christiana videantur aliena, quaeque obtruderant ipsi antecedentium seculorum diversa studia, fingendi temeritas, intempestiva solertia, dominandi lubido, lateque diffusa superstitio. Rumpuntur vincula, quae in isto veluti ignorantiae antro hominum ingenia tamdiu obstricta tenuerant. Non illud amplius curatur aut quaeritur, quid Ecclesia statuerit, quid Papa sanxerit. Nam abrogatur et abjuratur humana in fidei rebus auctoritas omnis. Agnoscitur vero, imo celebratur Codicis Sacri auctoritas summa. Hunc scilicet obscuratum fere antea et ferme ignotum in lucem denuo protraxit reformatio. Ad hunc confugiunt, ab hoc opem petunt omnes fere Christianam doctrinam colentes gentes Germanicae. Hunc in suos sermones singulae vertunt; unicum Christianae doctrinae rite cognoscendae principium ac fontem agnoscunt; libertatis Christianae Magnam veluti Chartam sibi vindicant; et vero ad Sacrum illum Codicem, tamquam fidei morumque supremum judicem omnes provocant. Ita demum accidit, ut per Reformationem hancce universa Christi doctrina, post varias illas quas experta fuerat commutationes, ad pristinam suam et puritatem et simplicitatem sensim revocari jam coeperit. Sic accidit, ut missis Scholasticorum nugis, quibus oppleta fuerat Christi doctrina, umbras istiusmodi vanas et inanes non amplius curarent, ipsas vero res inquirerent, ipsum Euangelium penitus percipere niterentur, atque ita ex tenebris superstitionis ad lucem adsurgerent veritatis.

Sed in progressione observanda ingenii humani, haud illud negligamus, quod omnium temporum docuit experientia, proprium esse homini, ut, quod simplicissimum est, id reperiat ultimum. Dogmata si respicimus, quae ante instaurata sacra apud Christianos erant recepta, ducta sunt illa magnam partem

ex Patrum Ecclesiasticorum, qui nuncupantur, scriptis, ex Conciliorum decretis, et aegre subinde aliâ defendi auctoritate possunt. Quamobrem Christiano homini, si quidem temporibus istis doctrinam percipere Christianam cuperet, pervolutanda erant infinita librorum volumina, et mole immensa, nec ratione aut oratione magnopere se commendantia. Qua difficultate ut sollertissimus quisque maxime repellebatur, ita omnis fere rerum sacrarum scientia traditionibus nitebatur. Quid vero Lutherus, quid ceteri instituerunt rei Christianae instauratores? Id nimirum, A. A., quod omnium longe erat simplicissimum, nec tamen usurpatum fuerat praecedentibus seculis. Rivulos relinquunt, ex quibus hactenus erat haustum, turbidos illos aevi superstitione: fontes adeunt limpidissimos, e quibus unice hauriri deberet, ipsa scripta Apostolorum, qui ab ipso Jesu saluberrimam doctrinam acceperant. Sic videlicet, post tot seculorum decursum, per tot ambages, tandem ad illud perventum est, quod simplicissimum erat et, ut videbatur, facillimum.

Idem vero ut tandem erat repertum, ita vim habuit efficacissimam. Non ita sese res habet, ut quae maxima contentione moliuntur homines, eventum consequantur maximum. Ad res gravissimas utilissimasque majus fere momentum habent, quae sunt simplicissima. Pyxide nauticâ quid est simplicius? Acum continet quae perpetuo septentrionem indicat. Hac autem inventa, ecce! Columbus tuto per medium tendit Oceanum, regiones remotissimas, ignotas plane, novam continentem, novum, ut vocatur, mundum reperit. Quid simplicius notis illis et literarum ductibus, quibus arithmeticae peraguntur disquisitiones? Tenuissimum negotium a Keplero et Newtono ad astronomiam adhibitum, sic coelum propemodum patefecit mortalibus, ut acus illa nautica tellurem. Similis fuit caussa Erasmi, Lutheri, reformatorum doctrinae Christianae.

Non illi, instar Scholasticorum ejus aevi Theologorum, ardua quaeque moliuntur, obscurissima quaeque dogmata obscurissimis verbis tradunt, movent multum, promovent parum; sed, ecce! unum aperiunt librum, neglectum antea, sed unicum omnis Theologiae fontem, e quo uno omnia duci explicarique dogmata debent. Hunc autem ut repererunt, Columbi instar, instrumentum sibi invenisse videntur, quo instructi tuto se conferant in medium illum disputationum Ecclesiasticarum oceanum, in medias Ecclesiae turbas et tempestates, Sacrum Codicem tamquam acum habentes nauticam, quae ipsis constanter indicet, quid verum sit, quid bonum, quid justum.

Ne tamen existimemus A. A., quod praeclare erat inchoatum, id eodem tenore perpetuo esse continuatum. Contendit homo ad optima quaeque et perfectissima, quae naturae humanae insignis est praestantia. Verum enim ut junctum est divinum hoc studium cum imbecillitate humana, ita a recto cursu deflectit subinde humanum genus. In ipsa sacrorum emendatione ut desiderantur multa, ita longe aberat, ut illustre perficeretur propositum, quod sibi proponebant Christiani, Apostolicae Ecclesiae παλιγγενεσία. Ipsos reformatores misere distraxerunt de minoris momenti rebus sententiarum discrimina. Sectae sunt ortae, quae persequerentur se invicem odio prorsus theologico. Invaluerunt permulta in Christianae religionis doctrina, quibus melius caruisset. Rediit Literarum Sacrarum interpretatio allegorica, in simplicissimis effatis nescio quae abscondita et mira inveniens. Rediit Scholastica ratio, Theologiam Christianam ita deformans et onerans, ut purior illa atque simplex, quae vix apparuerat, Christianae doctrinae ratio fere tota evanesceret. Rediit subtilitatum et sophismatum studium tantum, ut quo essent futiliora de quibus disputaretur, eo omnium animorum attentione esse viderentur digniora.

Neque vero hic substitit ingenii humani temeritas atque au-

dacia. Quod enim Germanicarum Gentium alte animo insidet, et in Protestantibus viget, ingenuum libertatis studium, hoc abutentes, ingenii esse vincula putaverunt, quae praeclarissima homini concesserat Divina benignitas adminicula. Sic una celebrari coepit rationis humanae αὐτονομία, qua perversa philosophia misere decepti in Deismum, in Naturalismum, in Scepticismum ita aberrarunt Christianorum quamplurimi, ut tandem, urgente quodammodo necessitate in Schellingiani mysticismi tenebras sese conjicerent, illud jam frustra solamen quaerentes, quo sua ipsi temeritate erant destituti. Sic

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Sed quo minus nobis gratae accidunt, quae post Lutherum exstiterunt cum contentiones, tum opiniones vanae et perversae, eo magis celebremus temporum nostrorum felicitatem. Ut lugemus, quod accepit hinc Christiana religio detrimentum, ita fatendum nobis simul, multos esse nec contemnendos, quos inde retulit, fructus. Quo enim longius a Divinae doctrinae lumine aberraret ingenium humanum, eo virium suarum tenuitatem magis sentiens, quid sibi deesset intelligere, et quo sibi redeundum foret, palam agnoscere coepit. Quo factum, ut audacissimos istos ingenii conatus, moderatior exceperit ratio, quae tota est ad simplicitatem composita. Ingentem ubivis ac faustam subiit sensim Theologia Christiana commutationem. Profligata jacet, inanibus distinctionibus futilibusque quaestiunculis referta et partium studio favens Scholastica ratio: cui Theologia successit ad Codicis Sacri effata composita, quae his unice contenta, non dici modo, sed vero esse *Biblica* coepit. Sic, dum in doctrinae simplicitate magis magisque omnes acquiescunt omnesque consentiunt, progressus facit mutuus Christianorum amor: dira propelluntur Theologorum odia

plinam, quam mihi mandastis, ad communem omnium utilitatem et rei Christianae commodum, quoad ejus fieri possit, adhibeam. Vestris sic auspiciis viri nobilissimi! ut magis perpetuo floreat Academia Lugduno-Batava, quem veneror Deum ex animo precor. Mihi autem largiatur, ut gravissimo huic muneri par sim, et vero vestra vota magis magisque expleam!

Quae si umquam mihi satis succedant, quantas ego gratias habeo et agam uti Deo potissimum, a prima inde juventute ad hunc usque diem opitulatori meo et maximo et benignissimo; ita eximiis praeceptoribus meis, qui tantum studium tantamque curam in me posuerunt! Quantas Royaardsio, qui optimo mihi patre orbato, non studiorum modo fidelissimus exstitit dux, sed vero alter veluti pater! Quantas Heringae, Oordtio, Pareavio, quorum ut magna in me esse merita fateor, ita cara mihi semper nomina erunt! Quantas tibi, quem praesentem intueri licet, desideratissime Simonsi, cujus quae in me beneficia contulisti, cum institutione tua, tum *amicitia* ac familiaritate, numquam sane animo mihi excident! Et vero, quantas omnium maxime dilectissimo Heusdio, qui, ut Literarum mihi obtigit et inprimis Historiae praeceptor, ita omnis liberalioris disciplinae dux fuit atque auctor; cui viro quot quantaque debeam, ut penitus animo sentio et sentiam donec hac luce fruar, ita verbis exprimere nequeo plane!

Ad vos autem jam accedentem omnium doctrinarum disciplinarumque Professores, Viri Clarissimi! profecto vester me haud mediocriter movet atque perturbat adspectus. Quis enim ego sum, aut quae sunt mihi ingenii dotes vel doctrinae opes, quae dignum me reddant, qui juvenis vel dispari ordine atque loco, ad augustissimum vestrum collegium socius accedam? At vero, omni laude cumulatissimi viri! magna sint et nomina vestra et merita, magna simul est, qua elucetis, humanitas et benivolentia. Hanc ego mihi implorans, illud enixe precor,

ut velitis me prosequi amicitia vestra! Sic enim nec deerunt mihi saluberrima consilia atque monita, quibus prorsus indigere me sentio. Et sustentatus iis magis in dies ita proficiam, ut voluntatis in me vestrae vos non poeniteat.

Atqui hoc vobis inprimis dictum sit, Theologiae Professores, viri Clarissimi! Major sane haud mihi facile posset honor accidere, quam si, vobis adjutor datus, vobiscum mihi arctum vinculum intercederet. At omni honore majus emolumentum mihi et felicitatem parari, quidni spem laetam foverem? Etenim videor jam mihi Leidae iterare, quam ante hos quinque annos Trajecti absolutam credebam academicam vitae rationem, qua suavius et optabilius nihil possum memoriâ recolere. Quodsi autem felicitatis illius veluti caput fuerit, quod praeclaris adeo praeceptoribus gauderem: quantam mihi licet felicitatem vaticinari, si jam vos mihi praeceptores proponam, ad quos ego discipulus laetus accedam. Vos, vos igitur ne eludatis mihi spem laetam hancce? Et dum pietate vos colam et observantia, quaeso ita me sustentetis benivolentia vestra, ut quam maxime et mihimet ipse, et vero generosae hujus academiae juventuti possim prodesse!

Vobis enim, quos jam tandem compello et saluto, juvenes exoptatissimi! praesertim qui ad praeclarissimum Euangelii annunciandi munus vos accingitis, vobis igitur prodesse omni studio et ardore omnibusque viribus conabor. Intellexistis jam, qualis sit quam profiteor disciplina. Talis nimirum quae ad Ecclesiae Dogmatumque Christianorum rite percipiendam historiam, universam continuo in auxilium adhibeat Historiam gentium. Est scilicet utriusque indissolubile vinculum et veluti cognatio. Quae quo diligentius a nobis et attendetur et in nostras adhibebitur usus, eo continuo majora capient nos atque tenebunt disciplinae nostrae oblectamenta. Et vero unicâ hac atque regiâ viâ si procedamus, eo perveniemus, ut Theologi

fiamus prudentes simul et vere liberales. Agite igitur Amici! hoc iter una nos ingrediamur. Me accipiatis quaeso, non doctorem adeo contracta vos et severa fronte docentem, sed laeti itineris comitem, sed socium, sed amicum, cui vestrum, quotquot vere sint studiosi, uti grata semper familiaritas erit, ita cara inprimis salus et commodum vestrum; illud omnino quod maxime valeat, quo Christi Conservatoris nostri Ecclesiae et emolumento esse possitis, et vero ornamento. — Utinam hanc aliquando vim habeat institutio mea! Utinam sic optimae caussae quam maxime prodesse possim et inservire! Utinam hunc mihi favorem concedat, qui huc me vocavit, Deus!

DIXI.

ORATIO

DE

ECCLESIA GRAECA, DIVINAE PROVIDENTIAE TESTE;

HABITA D. XV DECEMBRIS ANNI MDCCCXXVII

AD ORDINARIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA CAPESCENDAM.

Quod ex amplissimo hoc loco de gentium historia aliquando pronunciavit BONGERUS: »historiae doctorem Providentiae administrum esse Divinae", ut verissimum est, ita illi est maxime tenendum, qui Historiam traditurus est Ecclesiae Christianae. Quae enim, in humani generis rebus, communi observatur sapientissimorum hominum consensu benignissima Numinis cura, quidni in illa conspiciatur Societate, quae praeclarissimam omnium et sanctissimam humani generis caussam complectitur? Quodsi historici hoc officium est, ut esse Dei immortalis Providentiam, qualisque illa sit, et qua praecipua lege temperet res humanas et moderetur, observet atque declaret; ecquis beatum haud praedicabit Ecclesiasticae inprimis Historiae interpretem, in illa quippe elaborantem Universae Historiae parte, quae reliquis omnibus evidentius curam illam ostendat et moderationem Divinam!

Nec tamen hanc aut solam aut primam historiae doctori scriptam legem puto, ut in rebus humanis supremum agens Numen ostendat. Non enim ut ligno aut ferro faber, vel ut brutis arator, sic mortalibus Deus utitur. Ipse agit, in Ecclesiae quoque historia, homo! Sua quisque indole et ingenio, suisque studiis ducitur. His agitatus ac veluti incensus magna omnia et praeclara perficit; his item in errorem prolabitur

vitiorumque gurgitem. Hinc ingens illud, uti singulorum hominum, ita populorum discrimen, quod summam omni tempore in res humanas vim habuit et auctoritatem; quodque insignes istas, in societate quoque Christiana, rerum vicissitudines peperit. — Quid igitur? Historicum illum vere et dici credemus et esse, qui in rebus explicandis humanis, humanam negligat agendi rationem, Divinam unice spectet et curet? — Dicam quod sentio. Numquam immortalis ille memoriae vir, quem Ecclesia, literae, patria, nostra inprimis Academia lugent et desiderant, tanto Historiae doctorem, Providentiae Divinae administrum, celebrasset eloquio, nisi, quem mente fingebat et animo intuebatur, talis fuisset interpres historiae, qualem et ipse docendo se praestitit, et ante jam in praeclaro: »de Historia pragmatica" libro, aliis delineaverat et spectandum proposuerat. Scilicet A. A.! quae unica patet, ad rerum gestarum seriem rite cognoscendam, via, haec sola ducit ad veram Providentiae Divinae observationem. Pragmaticam dico historiam, quae germanis rerum gestarum monumentis in usus suos diligenter adhibitis: — nam quae sit historia dicenda, quae non ex ipsis sit fontibus hausta? — his igitur adhibitis, ipsum inprimis in rebus humanis agentem considerat hominem; quae gentes observat gentiumque discrimen; quaeque ex annalium jejunitate ad ipsius Historiae amplitudinem gravitatemque assurgens, non una absolvitur rerum gestarum enarratione; sed quo loco, et a quibus, et quibus de caussis, et quem in finem, aliquid gestum sit diligenter animadvertit et exponit. Haec sane ea sunt omnia, sine quibus, summo monente POLYBIO, pragmaticae illo rationis auctore, »ludicrum spectaculum evadit historia, in praesens quidem adferens oblectationem, utilitatem vero in posterum nullam." — De Providentiae autem Divinae observatione quid quaeritis? — Nullus huic, absque ratione vere pragmatica, esse potest in historia locus. Quod enim hac ratione caret historiae studium,

rudem quamdam indigestamque nobis exhibet rerum gestarum molem: non vero spectaculum illustre illud et plane Divinum, in quo hominum gentiumque vires et studia, loco licet et tempore et ratione maximopere diversa, per multos casus, ita tamen conspirant idemque sequuntur, non ut e plurimorum ingeniorum repetenda studiis videantur laboribusque, sed *Unius* consilio et auctoritate sapientissime instituta et perpetrata appareant!

Quodsi ego, hac opportunitate, ex infinita exemplorum copia, quae hanc probant Providentiae Divinae curam historiae auctoritate, tale mihi explicandum oratione argumentum proponam, quod e temporis quo vivimus ratione petitum, cum religionis Christianae emolumento et humani generis salute conjunctissimum sit; nihil faciam, quod a loco quem adscendi, aut a munere quod auspicor, aut a sancta illa cui inservire studeo caussa, alienum haberi possit. Dicam igitur: *De Ecclesia Graeca, Divinae Providentiae Teste.*

Cujus argumenti et dignitatem et gravitatem utinam mea posset aequare oratio! At quae deesse mihi ego quidem persentio penitus, haec vos A. H.! pro vestra, quam dudum expertus sum benivolentia, a mea orationis ingeniique mediocritate exspectare nolite!

Ingredienti autem mihi materiam hancce, non necesse videtur ut exponam continuo Ecclesiae Graecae originem et variam deinceps fortunam, ad illud usque tempus, quo schismate ab Ecclesia Latina disjuncta est. Hoc ipso enim schismate accidit, ut exstiterit, quam nunc spectamus, Graeca Ecclesia, i. e. *Christianorum Societas in Orientalibus Europae partibus stabilita, ac Latinis Christianis opposita.* Haec vero, quare illis opposita manserit, quosque illinc fructus, Providentiae Divinae curâ, res Christiana et ceperit fere et etiamnunc capiat ho-

dierno tempore, nobis videtur accuratius explicandum.

Haud fuerunt sane nec ipsius schismatis nec perpetuae separationis caussae leves illae, quae vulgo memorantur: disputationes *de jejunio Die Sabbathi, de panis haud fermentati in Eucharistia usu, de suffocatis et sanguine haud comedendis, de Spiritus Sancti a Filio Dei processione*, aliisque dogmatibus; — quamquam hae suâ, ut opportunitates, haud destitutae fuerunt efficacitate; — sed est communis quaedam et amplissima caussa, a qua ipsae opportunitates istae pendent totae; sine qua non invaluissent istiusmodi futilissimae lites, vel tanta certe vi caruissent et efficacitate. Magnum illud memoro, quod Graecos omni tempore a Latinis distinxit, indolis, ingenii, morum, studiorumque discrimen. Hoc in antiqua, utriusque gentis, historia viget. Hoc item in omni ratione conspicitur, qua Christianam amplexi doctrinam, in diversam utrique viam abibant. Quod enim, suo jam tempore, de Romanis CICERO dixit: »considerate agere pluris existimare eos quam cogitare prudenter, omnemque virtutis laudem in actione ponere": hac *veluti* discriminis nota a Christianis Graecis Latini Christiani recedunt. Doctrinae explorare et intelligere placita, hoc semper maxime Graeci ardebant; in vitae vero, cum privatae tum inprimis publicae, illa componere usum, id studiosius omni tempore Latini egerunt. Hac communi veluti nota distinguuntur, qui inter utrosque maxime inclaruerunt doctores Ecclesiae: ab ALEXANDRINO CLEMENTE TERTULLIANUS, ab ORIGENE CYPRIANUS, a GREGORIO NAZIANZENO, BASILIO, JOHANNE DAMASCENO AMBROSIUS, AUGUSTINUS, GREGORIUS MAGNUS. Idem in sectis adeo patet, quarum inter utrosque origo et natales fuerunt. Latini enim fere nullas habuerunt, nisi ansam praebente Ecclesiastica disciplina; Graeci vix alias, nisi quae ab ipsius doctrinae norma recederent. Et prouti in extrema ruentes Latini, practici inprimis argumenti errore peccasse censendi sunt, sic disquisitionibus nimium indulgendo theoreticis Graeci.

Tale igitur tantumque discrimen, quid mirum A. A.! si effecerit tandem, ut, qui ingenio, lingua, moribus toto coelo differrent populi, ejusdem vix amplius esse possent societatis Ecclesiasticae socii; neque Graeci ferrent Ecclesiam, qualem pro suo ingenio sibi informaverant Latini? Et sane, utrosque inter, jam ante ruptum caritatis et communionis vinculum fuit, quam aperto essent divulsi schismate. Hinc, a multis jam antea seculis, mutuae multae simultates et odia. Hinc apud Graecos non Patriarcharum modo, sed plebis, neque de Hierarchia tantum sed de nulla non haeresi in Latinos suspicio. Hinc PHOTII inprimis Patriarchae memorabilis illa de erroribus Latinorum epistola, qua, suo jam tempore, publici fundamenta dissidii posuit. Abhorrent enim in posterum Graeci ab omnibus, quae a suis aliena moribus, imponere ipsis Latini gestiant. Sua vero singula, doctrinam, opiniones, ritus, instituta, minima quoque et futilissima, eo magis servant, diligunt, acerrimeque vindicant, quo execrabilior iis Romanorum Antistitum superbia erat et dominandi libido. Levissima quaeque dissensio, aeterni jam est odii caussa. Et exigua rerum accedente opportunitate, ecce! coacervatis veluti per seculorum decursum injuriis, ingens illa fit eruptio, quae, mutuis sese petentibus anathematum fulminibus utriusque Romae Episcopis, tandem a Latina Ecclesia penitus Graecam divelleret.

Et sic quidem A. A.! dilacerata est Christi in terris Ecclesia! Turbata et rupta, per multa secula, Christi fidelium concordia! Et tristis ista exstitit divinae Religionis inter homines ratio, ut non caritatis, non virtutis, non felicitatis; sed dissidii, sed erroris, sed aeterni adeo mortalium odii fautrix ipsa et altrix videri facile posset!

Hic vero cavendum est ne judicemus temere! Altius est respiciendum A. A.! Praeclarissimis enim inserviit finibus ipsum ingens illud Christianorum dissidium! Religioni et huma-

nitali in hunc usque diem prodest Ecclesia illa Graeca! Et pie nobis celebranda est benignissima rei Christianae favens cura, quae quod malum videbatur et deplorandum prorsus in bona omnia et fausta cedere jusserit! — Hac, age, in vindicanda caussa omnis jam versetur oratio nostra.

Et magna quidem jam excitatur nobis Divinae plane curae suspicio, si Graecam Ecclesiam, per tot jam seculorum decursum, in mediis istis gravissimis aerumnis, difficultatibus, periculis, et superesse et sui plane juris mansisse consideremus. Non enim profecto aut sponte hoc, aut facili negotio ita locum habuit. Turcarum cogitetis infensissimos illos contra Byzantinos progressus, Graecorum non Imperio tantum sed Ecclesiae minitantes interitum; nec sane quid fore magis expetitum Graecis et exoptatum dixeritis, quam restituta qualiscumque tandem cum Latinis concordia. — Sed Romam velim cogitetis: Romam inquam, non incertis amplius passibus ad Ecclesiae monarchiam procedentem; sed omnium jam in Europa rerum facile dominam. Hanc proponatis vobis, modo matris instar ab errore, periculo, interitu revocantem filiam, modo severissimae similem dominae, servam suam ad obsequium vocantem, omnibusque viribus cogentem. — Verum non vi, non dolo frangi potuerunt caussam suam et jura vindicantium Graecorum animi! — Testes sunt quae, XII° jam seculo, saepius factae sunt Latinorum ad Graecos legationes, frustra omnes amovere schisma tentantes. Testis illa quae, inter sacras expeditiones quarta fere recenseri solet, haud magis contra Saracenos instituta Christiani nominis hostes, quam contra schismaticos Graecos. Testis Latinorum saevum illud, per multos annos, in sede Byzantina Imperium. Testes vero ipsi illi Imperatores Graeci, quos abjurare schisma, Graecam vero Ecclesiam Romanae submittere, sive Latinorum sive Turcarum metus coegit. — Irritum enim fuit, quo jam exsultabant summi Pontifices,

gaudium! Irrita omnis illa utriusque Ecclesiae, in conciliis sancita publicis, conciliatio! Non curabant haec omnia Graeci. Et quicquid proximis seculis, continuata fere serie, omni opera et studio moliti sint Romani antistites, ista ut deleretur Carthago: movebant multum, promovebant parum! Quaeque sic, miraculi instar, sustentata fuit et servata, a reliquis distincta Christianis omnibus Ecclesia Graeca: ecquis dubitaverit, quin Divino plane consilio et inservierit hactenus, et vero in posterum sit inservitura?

Nec frustra quaeruntur A. A.! momenta rerum quam plurima, quae hancce augeant suspicionem et confirment luculenter. Ne dicam de commento illo unius universaeque Ecclesiae, quae, civitatis et terrestris Imperii instar, legum et auctoritatis vinculo cives suos contineret, quo nimirum auctoritatem suam fundarunt maxime Pontifices Romani: — schismate hoc et separatione perpetua plane illud explosum est. Nec arrogantiam memorem Latinae Ecclesiae, se jactantis communem omnium in terris Christianorum matrem ac dominam; — effecit Ecclesia Graeca, ut, quamvis retundi compescique illa vanitas haud plane potuerit, reapse confutata sit. Ne igitur haec et alia similia commemorem, schismatis beneficam consideremus vim, cum in Orientis Ecclesiam, tum universe in omnem rem Christianam.

Et primum quidem hoc eo effectum est, ut Orientalis pars Ecclesiae malorum expers manserit gravissimorum, quibus caeteroquin oppressa fuisset. Miseriarum enim, in quas ipsa, jam relicta sibi, sensim incidit Ecclesia Graeca, ne existimetis quaeso, exiguam modo orituram accessionem fuisse, si vel omnium, quae inter Latinos mox invalescerent, unâ particeps exstitisset. — Unum vel nominasse hominem sufficit, ut, a quanta clade salva et incolumis manserit, intelligant omnes et fateantur. Gregorium illum VII dico, quo nemo umquam vel majorem vel pejorem in rem Christianam auctoritatem habuit. Hunc autem si Romanae praefuisse consideramus Ecclesiae,

paucos modo annos post stabilitum penitus dissidium: — quantopere nobis pie celebranda erit Divinae Providentiae cura, quae opportuno maxime tempore, Christianorum hoc oriri schisma voluerit, ut, quae pestis magnam partem Ecclesiae infectaret per multa secula, non universam illam corrumpere posset et depravare.

Profecto beata praedicanda est Graecorum Ecclesia, in quam Gregorii illi, Urbani, Hadriani, Innocentii, Bonifacii, alii pejores etiam et impudentiores, nullam amplius vim, auctoritatem nullam haberent. Neque solam significamus ita, quae ad despotismi speciem jam plane adducta fuit Pontificum illorum auctoritatem, qui publice pronunciare haud vererentur: »de necessitate esse salutis credere, Romano Pontifici omnem subesse creaturam humanam." At menti obversantur simul, quae, ad Tyrannidem hancce stabiliendam, cum illa conjunctissimae certe, jam, post alias aliae, ingenti numero invaluerunt doctrinae et disciplinae Christianae depravationes. Coelibatum dico, omnibus jam omnium ordinum Clericis lege impositum; quo quid aut a Divina Religione alienius, aut vitae morumque puritati perniciosius umquam inveniri potuerit, equidem nescio. Indulgentiarum memoro vendendarum impudentiam, ex hominum ignorantia et superstitione turpe et infame lucrum quaerentem. Inquisitionem significo, quique Actus Fidei impie dicti sunt, in majorem, uti credebatur, gloriam Dei, flammis caedibusque Christianos subinde pios tradentes. Ne addam Purgatorium et Transubstantiationem, quaeque: — de panis Eucharistici adoratione, de vino Eucharistico Christianis negato, de satisfactionibus humanis, de operum bonorum thesauro Ecclesiae, alia plura occurrant humani figmenta ingenii: — has enim turpes illas doctrinae et disciplinae Christianae maculas, haec crimina sanctitatis nomine insignita, scelera haec piorum factorum specie commendata, haec omnia ab Ecclesia Graeca illius a Latinis schisma avertit.

Neque hic est unicus fructus, quem Christianis Graecis Ecclesiae dissidium tulit. Alia multa et egregia sic demum iis servata sunt, quibus, in hunc usque diem, ab Ecclesia Latina sese Graeca distingueret. His sane si Literarum annumero et humanitatis amorem ac studia, rem magnam summique momenti mihi laudasse videor. Haec enim studia, quorum, apud Ecclesiae antistites Graecae, omni tempore reliquiae superfuerunt, tunc maxime inter Graecos vigebant, cum in Occidentem omnem atra nox barbariei incumberet. Haec ad puriorem ipsis conservandam doctrinam valebant. Haec inprimis illud effecisse scimus, ut in hisce nostris Europae tractibus, Graecorum profugorum auxilio, propellerentur tandem ignorantiae tenebrae atque immortalia WESSELI, AGRICOLAE, ERASMI, REUCHLINI, LUTHERI, ZWINGLII suscitarentur ingenia, quae meliorem Occidentis Ecclesiae conditionem pararent.

Sed in commemorandis virtutibus, quas privas sibi propriasque Ecclesia Graeca servavit, quî modestiam negligere possem et moderationem sentiendique illam liberalitatem ingenuam, quae cum illius indole semper conjunctissimae fuerunt. Non haec umquam se solam dixit, Christi veram Ecclesiam. Non unicum sese habuit aeternae salutis fontem aut conservatricem. Dum vero sua magni faceret omnia et vindicaret strenue, non Christianam tamen caritatem exuit; non in reliquos omnes Christianos despexit aut saeviit; secus vero sentientes ita tulit semper et in honore habuit, ut tolerantiae vere Christianae, iis quoque temporibus exemplum praeberet luculentissimum, quibus Christiani reliqui omnes, et Protestantes ipsi, hanc virtutem non in laude sed in vituperio ponebant.

Quod vero omnium maxime commemorandum puto, quodque vel unum cogat nos, ut Divinum plane schismatis consilium atque Graecae Ecclesiae felicitatem laudemus: integrum haec servavit sibi Sacrorum Voluminum usum. Praecluserint alii Divinum hunc religionis cognoscendae fontem; suis abstulerint

solam hanc vitae vere Christianae normam; prohibitorum adeo librorum Catalogis Sacrae Scripturae versiones inseruerint: — abfuit tanta impietas ab Ecclesia Graeca. Supremo semper loco haec Sacri habuit auctoritatem Codicis; ejusque lectionem omnibus permisit, omnibus commendavit, versionibus faciliorem omnibus reddidit. Haec, haec inquam, omnium est pretiosissima et sancta Ecclesiae Graecae possessio! Quicquid enim, per seculorum decursum, maculae sibi aut erroris contraxerit: salva Scripturae Sacrae auctoritate et usu, salva simul ipsi via est, qua ad omnem continuo Christianam perfectionem procedat.

Tanta A. A.! Graecorum Christianorum coetus Ecclesiae schismati debet. Quam justi vero horum omnium ipsi Graeci fuerint aestimatores, hoc quaeso e Graeci hominis Sec. XII. verbis intelligatis. »Si Romanus Pontifex", ita ad Latinorum legatum NICETAS inquit Nicomediensis Episcopus, »Si Romanus Pontifex in excelso throno gloriae suae residens, nobis tonare, et »quasi projicere mandata sua de sublimi voluerit, et non nostro consilio, sed proprio arbitrio, pro beneplacito suo, de »nobis et Ecclesiis nostris judicare, imo imperare voluerit, — »quae fraternitas, seu etiam quae paternitas haec esse poterit? »Quis hoc umquam aequo animo sustinere queat? — Tunc »nempe veri servi et non filii Ecclesiae recte dici possemus et »esse. Quod si sic necesse esset, et ita grave jugum cervici»bus nostris portandum immineret, nihil aliud restaret, nisi »quod sola Romana Ecclesia libertate, qua vellet, frueretur, »et aliis quidem omnibus ipsa leges conderet, ipsa vero sine »lege esset, et jam non pia mater filiorum, sed dura et im»periosa domina servorum videretur et esset. — Quid igitur »nobis Scripturarum scientia? Quid nobis Literarum studia? »Quid magistrorum doctrinalis disciplina? Quid sapientum »Graecorum nobilissima ingenia? — Sola Romani Pontificis »auctoritas, quae, sicut tu dicis, super omnes est, universa

»haec evacuat. Solus ipse sit Episcopus, solus magister, so-»lus praeceptor, solus de omnibus sibi soli commissis soli Deo »sicut solus bonus pastor, respondeat."

Haec diximus A. A.! de praeclara vi, quam hactenus quidem, in ipsam inprimis Orientis Ecclesiam, ingens illud habuerit Christianorum dissidium. Emolumenta jam consideranda supersunt, quorum, nostra aetate, spem nobis et expectationem faciat Ecclesia Graeca.

Quodsi vero praesentem reputamus hujus Ecclesiae statum, tristis nostros fortasse animos cogitatio subit. Quid enim? Misera jacet, in ipsis illis, in quibus exstitit primum et floruit tractibus. Conspirasse adeo videntur et Turcae et socii Turcarum, ut ipsos Graecos exstirpent. Et vero, postquam jamdudum haec gens servitute oppressa, his tandem temporibus, libertatem vindicare agressa est, saepenumero jam hi conatus generosissimi ipsi afferre interitum visi sunt.

Verumtamen A. A.! a Turcis non pendent sors atque fortuna Ecclesiae Graecae. Non enim antiquis amplius haec circumscribitur finibus. Non Constantinopolis, non regiones reliquae, in quibus Graeci inclaruerunt antiquitus, aut sola ejus aut praecipua hodie sedes sunt. Si vero rite velimus hodiernam illius dijudicare rationem, in alia plane loca age oculos convertamus.

Non frustra A. A.! Graecis patebant regiones immensae illae, quas, septentrionem versus, populi tenebant etiamnunc barbari quidem, et a Christi religionis omni cognitione alieni; at quorum, in omnium ferme gentium fata, magna aliquando vis et auctoritas foret. Qui ab ipsius enim schismatis tempore, plane ceperat Graecos, propagandae Ecclesiae ardor, effecit idem, ut religionis omnis et humanitatis fons et origo regionibus istis Ecclesia Graeca exstiterit. Haec Slavonicarum harum gentium Apostolos tulit. Haec stabilitae in his Ecclesiae, per multa secula, doctores dedit antistitesque. Haec, almae

matris instar, cura sua et caritate Ecclesiam Russiae fovit. Sic Divinâ moderante accidit curâ, ut omnes inter populos, qui, ab Euxino Ponto ad Mare Glaciale usque, Orientales Europae partes incolunt, jam ante quintodecimum seculum, laete creverit Christi religio, et vero, ut, Constantinopoli capta et Imperio sublato Graecorum, cum ipsa jam interitura videretur Ecclesia Graeca, novam haec et tutissimam apud boreales hosce populos sedem invenerit.

Rem attigimus A. A.! quae, uti omnium maxime animadvertenda est temporibus nostris, ita ad vindicandam quam agimus causam egregie valet.

Arctissimo juncta est vinculo Ecclesia Graeca cum ingenti illo Russorum Imperio. Hinc profecto patet, quantum sit Ecclesiae hujus nostra aetate momentum, et vero exspectatio quanta! Prouti enim Divinitus jam destinata fuit, ut tanti Imperii subditos et Religionis luce Christianae bearet, et hoc modo ad cultum adduceret et humanitatem; ita sane, pro insigni quo est posita loco, in omnem Imperii hujus rationem, in progressus ejus et fata, non poterit non inposterum magnam efficacitatem habere. Quodsi consideramus, quale jam hodie sit istud Russiae regnum: quam late patens, quanta pollens potentia, qua vi et auctoritate politica in reliquos omnes Europae populos agens, quantorum denique incrementorum capax; stupenda profecto auctoritas est, quam in dies magis magisque, in omnem Europae conditionem, et politicam et religiosam, arcta illa habitura est Ecclesiae Graecae cum Russico Imperio necessitudo! — Indicasse hoc quam exposuisse praestabit. Id vero cunctis Europae populis, id caussae inprimis Protestantium gratulari merito licet: quod apud Russos Religio et Ecclesia vigeat, quae non a Christi in terris qui dicuntur Vicariis pendeat; in quam immanis haud saeviat Jesuitarum cohors; cui non alta insideat mente in Christianos omnes dominandi cupido; quae vero liberalioribus studiis ducta, non se unice

spectet, at sanctam Christi Religionis inter homines caussam!

Ne vero A. A.! istam modo cogitatione respiciamus, quam ipsi incolimus, orbis terrarum partem. Quibus enim Orientem versus, Europa nostra cirumscribitur finibus, non iisdem sane et Russorum continetur Imperium. Magnam jam ipsius Asiae partem complectitur. Innumeri subsunt illi, ad ultimos usque Orientis terminos populi. Ejusmodi autem mutuo junguntur vinculo cum Russia gentes, ad quarum abditissimas sedes, reliquis Europae populis, nullus fere aditus patet.

Hanc igitur, hanc inquam considerare juvat Russici Imperii conditionem, ut propagandae Religionis nostrae, per illos tractus, opportunitates animadvertamus. Quousque enim ingens istud Imperium patet, eo usque operatur et vim suam exserit Ecclesia Graeca. Hujus auxilio jam Christo subdita est Occidentalis late illa patens Siberiae regio. Haec novis in dies populis: Calmucis, Buratis, Tungusis, Wodjacis, Morduinis, aliis quorum latina lingua vix nomina capit, doctrinam Christi annunciat. Quibusque omnem hactenus Religionis notitiam, ipsa regionum quas occupant natura negaverat, ad quos Brittannis adeo omnis praeclusa via est, — hi populi Graecae Ecclesiae hodie vocem exaudiunt. In ipsius Sinae jam et Japoniae confiniis Episcopales condidit sedes, non politicis inservientes propositis, sed Christi propagantes Ecclesiam et stabilientes. Neque Christianos novos hosce externis modo assuefactos ritibus atque formulis reddere studet; non ad coecum eos Ecclesiae praestandum obsequium ducit; sed liberali studio scholas instruit ubivis, quae optimae Religionis et humanitatis principiis juventutem imbuere possint. Sacri inprimis Codicis versiones conficiendas curat, quae Divinae veritatis fontem iis quoque aperiant populis, quorum linguae hactenus literarum adeo elementis carebant. — Quid plura? Magno cuidam et plane Divino consilio inservit hodie Ecclesia Graeca! Asiae superioris omnis et interioris populis optimum impertitur divinae

benignitatis munus! Lucem accendit adeo, amplissimam hanc terrarum orbis partem universam aliquando collustraturam!

Sed haec si externam maxime conditionem Ecclesiae spectent, ne existimetis velim, interiorem ipsam rei Christianae in terris rationem, ab Ecclesia Graeca, ut se hodie habet, nulla merito expectare emolumenta posse. — Ipsi surgunt nimirum ad majorem humanitatem Russiae populi; nec potest non ad consummatiorem simul rationem progressus facere, quam profitentur, Religionis doctrina. Minime enim talis est Ecclesiae Graeca, ut omnia pertimescat aut spernat, quae pristino suo statui inferre commutationes possint. Non odit non reformidat lucem, quam vel artes et literae, vel Sacri inprimis Codicis melior interpretatio atque usus, Religionis conditioni inter homines adferant. — Reformationem testor insignem, quam, emendatis Ecclesiasticis libris et Scripturae versionibus Sacrae, seculo jam XVII medio, Ecclesia Russiae vidit. Neque tum schismatici aut haeretici habiti sunt, qui emendatae rationis fautores sese praeberent et adseclas; sed qui, *Rascolnicorum* nomine, antiquae rationi addicti manserunt. Testor inprimis Magnum illum, non Russorum Imperii potius quam Ecclesiae instauratorem, PETRUM I. Fracta est ab hujus inde tempore Hierarchiae vis; emendata cogitandi sentiendique ratio; Religionis correcta doctorum conditio; sublatus monachicae vitae abusus; liberalior ratio in omnibus adest; scholae inprimis conduntur ubivis et florent, novum, non artibus modo et literis, sed Religioni et doctrinae et pietati vere Christianae, Russos inter, vigorem parantes. Nec desiderantur hodie horum omnium uberrimi fructus. Jam magnos tulit Ecclesia Russiae viros: PROCOPOVITIOS, PETROVIOS, PLATONES, PHILARETOS, alios, nostra et recentiori memoria, doctrinae, facundiae et pietatis laude conspicuos; et vero ejusmodi scriptis suis informantes Religionis doctrinam, quae Christiana sese commendet simplicitate, quaeque ad illam jamjam accedat, quam Sacro

duce Codice, Protestantium familiae variae, unanimo consensu profitentur. — Profecto haec considerantibus, optima quaeque nobis sperare licet. Per ipsam jam Ecclesiam Graecam sanior atque purior incrementa capit Divinae Religionis inter homines cognitio. Hactenus quidem cultus Dei in illa fuerit publicus a Christiana simplicitate, e nostris quidem opinionibus, multum recedens, rituum adeo et caerimoniarum pompa et prolixitate ad externam plane rationem compositus. Verum non frustra Russorum jam multi et vident meliora et probant. Nec vi sua carebunt, quae generosiora ubivis studia exsistunt. Hanc vero nobis expectationem firmant: fore tandem et fore brevi, ut Religionis et Theologiae vere Christianae pulcram et praeclaram sedem ipsa quoque Russia praebeat!

Et haec dum reputo, qui tacere diutius ipsam Graeciam possem? Expergiscitur et reviviscit, veluti e longe sopore, illustris illa artium et literarum inventrix, pristina illa Religionis Christianae et Graecae Ecclesiae sedes. Jam complures per annos, plaudentibus bonis et universa stupente Europâ, exiguae Graecae nationis reliquiae, jura, patriam, libertatem, sanctamque Religionis caussam, contra barbariei rabiem strenue vindicant. Et laeta arridet spes, fore, ut nobilis illa Helladis haud plane degenerata proles, longae servitutis jugum excutiat, interque cultiores Europae populos dignum sibi locum recipiat. — Profecto A. A.! quanta voluptate jactare sese oratio posset, quanto gaudio exsultare, si, liberatâ Graeciâ, in sede antiqua novis viribus agentem, crescentem, ad praeclara omnia jam procedentem proponere nobis liceret Graecorum Ecclesiam! — Et sane, jam surgunt Europae Principes Graecorum et Ecclesiae Graecae vindices! Jam Europam personat omnem ingens illa Turcarum ad Navarinum clades! Justissimae jam, hisce diebus nostris, parari videtur caussae victoria! — Verum enimvero nos non vaticinamur. Non humanae est sapientiae res futuras praedicere. Deus est, Deus inquam, qui

unus has tenet, et mortalibus ad ipsorem salutem occultavit. Sed idem Deus nobis facultatem dedit praeteritarum rerum et praesentium explorandarum. Et rite perspecta hodierna Ecclesiae Graecae conditione, hoc nobis licet certo affirmare: non amplius a belli cujusdam eventu Divinam Religionem in Orientalibus Europae tellurisque tractibus pendere. Nam vigent Russi juvenili vigore. Tenent illi tam in Asia, quam in Europa latissime patens Imperium. Immunes sunt iidem praejudicatarum opinionum, quibus omni aevo laboravit Ecclesia Latina. Et possunt illi et volunt studentque, una cum Codice Sacro, Religionem nostram in remotissimas proferre telluris partes.

Nec vero reticenda nobis est, in ipsa Graecia, Universitas Jonica, quae, in insulà Corcyra, extra Turcarum potestatem condita, studiis floret humanitatis, optimarum artium, Religionis. Dum proferunt Russi ad Sinam ad Americam usque Ecclesiae Graecae fines, hic, in hac ipsa celeberrima Graeciae insula, lumen doctrinarum illustrat in dies magis Religionem optimam! — Haec tot ac tanta praeclarissimae caussae praesidia non finguntur ingenio, non sperantur, non somniantur, quasi fortasse aliquando vel probabiliter futura, sed adsunt A. A.! adsunt, et nisi magnam partem jam dudum affuissent, tantos progressus, quantas fecit hoc ipso seculo, Religio Christiana haud fecisset!

Ipsos vero Graecos propitius Deus respiciat, ut quibus excruciantur miseriis, caedibus, martyriis benigne finem imponat! quaeque generosiora illos inter eluxerunt studia, servet, sustentet, augeat! — Sic in ipsa tandem patria sua meliores videat dies Ecclesia Graeca! Quaeque in summis istis Graeciae tam diuturnis aerumnis, antiquam Graecis et linguam servavit et Religionem et libertatis simul amorem et expectationem; haec dignum illud curae suae tandem pretium ferat, ut, quod testatur Russia, quod loquitur Asia, quodque hac oratione pro-

bare equidem studui, idem ipsa aliquando Graecia doceat: *Ecclesiam Graecam Divinae esse Providentiae testem!*

Sed vereor A. A., ne justo in hisce longior fiam. Quare eo veniam, quo non mei modo officii ratio, sed ipse dudum animus vocat. Reputantem enim quid sit, quod in amplissimum huncce ego iterum locum processerim, gratissimus me perfundit animi sensus, quem pietas jubet, ut vobis testificer. Perillustres hujus Academiae Curatores! qui Optimo Regi suasores fuistis, ut, quem, ante hos quatuor annos, in me honorem detulit, eumdem nunc tam insigniter auctum vellet. — Equidem sentio arduam esse ac laboris et periculi plenam provinciam, quam suscepi; et tenuitatis conscius meae, et quibus quantisque aut succedam ego aut accensear viris considerans, parum abest, quin in hac ipsa felicitate mea tristis et miser jaceam! — Verum adsunt quae depressum erigant et sustentent animum! Superest inprimis benignissimi cogitatio Dei, quem uti auxiliatorem adhuc, in docendi etiam munere, expertus sum Optimum; ita mihi, in sanctissima caussa quae in me sunt ponenti omnia, neque in posterum defuturum et spero et confido. — Quare hoc vobis persuadeatis velim Illustrissimi viri! licet verba desint, quibus, quas habeo, gratias vobis satis testificer, non tamen voluntatem deesse maxime sinceram, ut factis probem, quanti vestram de me exspectationem faciam, et vero quantopere talis fieri annitar, qualem me sancta Religionis et Ecclesiae caussa, disciplinae quam profiteor emolumentum, Leidanae denique Palladis gloria postulant!

Sed et vos mihi adestis Cl. Theologiae Professores! Collegae conjunctissimi! Nam vestram si doctrinam aut nominis celebritatem solam spectarem, etsi satis haberem quod in mediocritate mea fere animum desponderem; illud tamen in felicitatis meae haud infima parte pono, quod salutare vos collegas

liceat, quorum et fama mihi incitamento, et doctrinae copia exemplo esse et emolumento possit; quorumque consiliis, familiaritate, amicitia utens, talis in dies magis fiam, qualem uti esse cupio, ita nondum factum me scio. — Haec igitur tu mihi praebere pergas, venerande VAN VOORST! Academiae nostrae Nestor! cui equidem ut otium gratulor, quod nactus es honorificum, ita spero fore, sperantque boni omnes, ut idem otium in vegeta senectute literarum Ecclesiaeque saluti diu adhibeas. Haec a vobis ne, in posterum quoque, desint mihi Optimi CLARISSE et SURINGAR! quorum benivolentiam ego semper plurimi faciam! — Haec a te item peto integerrime VAN HENGEL! quem uti jam suum esse Leida laetatur, ita mihi esse Collegam gaudeo! — Sic nos invicem Praeclarissimi Viri! mutua illa jungat caritas, quae Christianos inprimis Theologos decet; quaque non statione tantum et munere, sed voluntate et animo conjuncti, omnium maxime et generosae huic juventuti, et Patriae, et Ecclesiae prodesse possimus!

Neque tuum a me reticeatur nomen, celebratissime VAN DER PALM! — Profecto magnum est tua benivolentia et amicitia frui. Quod, si mihi per quadriennium hocce contigerit, non sane mihi id tribuo, sed tuae qua conspicuus es humanitati; et vero piae cum beati patris, tum summi illius EWALDI KISTII memoriae, qui uti carus tibi fuit amicus, ita patruus mihi et fautor, post fata quoque omni semper pietate colendus. — Tecum jam in posterum arctior intercedet mihi, muneris quoque, necessitudo. Quod uti honori est mihi, ita gaudio maximo. Nam ita sentio: quo quis est tecum conjunctior, eo abesse poterit ab omni humanitate propior. Vive diu Vir Summe! sic ut vivis: Litteris, Ecclesiae, immortalitati! Quodque Leidae Numen favet, ab illius et patriae et religionis caussa, summam diu avertat calamitatem!

Vobis autem omnibus, omnium doctrinarum Professores! Viri Clarissimi! multis me si commendarem verbis, vestram

vel neglexisse viderer, qua novum me hominem excipere et prosequi haud dedignati fuistis humanitatem et amicitiam. Hanc vero uti plurimi facio et vehementer expeto, ita nec defuturam confido, dum, gratulantibus vobis, in amplissimo vestro ordine ipse locum capescam. Illud vero scitote, collegam vos accepisse, vestrae, qua cumulatissimi estis, laudis cultorem; cuique illud maxime curae erit cordique, ut, cum animi candore et integritate, tum pro communi literarum et disciplinarum emolumento ardore, se vobis commendet!

Et haec ea sunt, quibus vobis quoque me esse acceptum cupio Generosissimi adolescentes! vobis inprimis commilitones Optimi! qui ad praeclarissimum vos accingitis annunciandi Euangelii munus! Equidem vobiscum praeclaros hosce viros colo, et vestram felicitatem laudo, quibus tales habere duces et praeceptores contingat. Horum vero in numero si jam a vobis omnibus haberi ipse cupio, ita hoc facio, ut ducem me accipiatis velim aetate vobis propiorem, cui grata semper erit consuetudo et familiaritas vestra; cuique nihil exoptatius erit, antiquius nihil, quam omni labore et studio commodis inservire vestris atque in istis, quas profiteor disciplinis, germanam vobis monstrare viam, qua ad Theologiam accedatis liberalem, doctam, piam, vere Christianam!

DIXI.

ORATIO

DE

INCHOATA, NECDUM PERFECTA, SACRORUM EMENDATIONE.

HABITA

DIE. VIII M. FEBRUARII MDCCCXXXVII.

AD ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE MAGISTRATUM
SOLENNI RITU PONENDUM.

Nescio, Humanissimi Auditores! an aliarum quoque disciplinarum cultoribus illud eveniat, quod Theologi hodie saepenumero experiuntur; ut cogantur res jam actas agere, eaque repetere, explicare, aliis atque aliis argumentis munire, quae nullo amplius indigere praesidio, dudum ante viri quique doctissimi prudentissimique censuerunt.

Quamvis enim verissimum est, uti res humani generis universas, sic Theologiam, passibus lentis quidem, at certis, ad rationem meliorem procedere; non desunt tamen temporum, quae vivimus, osores contemtoresque, qui antehac, ut omnia, ita praesertim Christianam Religionem et Theologiam, meliore fuisse conditione contendant; quique id, quod volunt, censeri possent vel comprobasse egregie, modo si fas esset, ad ipsorum unice dicta factave universam rerum humanarum conditionem metiri.

Hi igitur antiquitatem semper, non tam sequentes ipsi, quam prae se ferentes, Theologis hodie maxime esse molesti student. Hos scilicet minime volunt, aquilarum instar, perpetuo lucem versus surgere, sed vero, ut cancri solent, deorsum vel retrorsum agere. Cum enim quae res divinas spectant, antehac

perfecta et consummata esse temere sibi persuadeant, omni sanctiori disciplinae cladem inferunt revera maximam, et sequiorum temporum Theologis Christianis nihil nisi servilis imitationis relictam gloriam volunt. Et sic quidem hos perpetuo cogunt, ut Religionis et Theologiae libertatem auctoritatemque ab illata illis vi defendant.

Quamobrem, quo magis ex ipsa Religionis, quam profitemur, indole appareret, non subsistendum nobis hac aetate, sed progrediendum esse, dicendum mihi censui:

De inchoata, necdum perfecta, Sacrorum emendatione.

Vos quaeso, Humanissimi Auditores! quam saepius expertus sum benevolentiam, eadem me nunc sustentetis dicentem!

Reformationis quidem, quae coepit a seculo inde sexto decimo publice stabiliri, conditionem hic spectabimus interiorem. Quid nimirum et continuo proposuerit sibi et hucusque effecerit, hoc ita indagandum et distribuendum erit, ut nostrum de hujus Ecclesiae emendationis, cum natura et principiis, tum hoc tempore conditione, recte regi judicium possit. Quodsi vero hac mea pateat oratione, insignem illam rei Christianae emendationem, praeclarissimam, quam agebat caussam, promovisse quidem sed nondum penitus obtinuisse: si minus sane nova, at ea fortasse dixero, quae multis nostri temporis hominibus possint utilia esse; ea quoque, quibus incitemur omnes, ut agamus strenue, quod a nobis, non Reformatio dicam, sed Christiana Religio postulat.

Est autem haec quaestio de *summo*, quod dici solet, *Reformationis principio* gravis, nec sine caussa nostris temporibus plurimum agitata. Agitur de suprema quadam ratione ac lege, quam ipsamet Reformatio sibi ponens in omnibus sequatur, e

qua sua omnia praecepta et placita ducat, quaeque sola omnibus ejus rebus certam indolem et characterem veluti indelebilem tribuat.

Equidem non is ego sum, qui hujus rei indagatione multa multos invenisse praeclara negem; nisi modo, uti vocis hic adhibitae sensus admodum varius in errorem alios duxit, sic aliis, quod purioris doctrinae quidem apte dici principium posset, idem et ipsius Reformationis ejusque universae visum fuisset. Quod vero in unico quodam Sacrorum instaurationi vindicando principio laborarunt quamplurimi, in eo videntur mihi acumini suo philosophico aut Theologico potius, quam Historiae veritati, satisfecisse. Ita factum certe, ut, quam unam et supremam vellent Reformationem sibi legem scripsisse, ea non e diligenti rerum gestarum observatione, sed ex ipsorum potius esset rationibus hausta.

Quamobrem, factus alienis periculis cautus, non meo me judicio committere volui. Ipsam audiendam existimavi Sacrorum Instaurationem, de se dicentem, indolem indicantem suam, suaque, quibus omnis nititur, principia ita exprimentem et declarantem, ut dubitationi locum mihi videatur reliquisse nullum. Scilicet A. A., vel me omnia fallant, vel id *nominibus* illis fecisse censenda est, quae, antiqua maxime et pervulgata, a nobis etiam usurpari solent, quoties de Instauratis Sacris verba facimus. Non ista nomina volo, quae, varia multumque invicem sibi opposita, singulis dari solent sectis Christianorum familiisque, ex ingenti hac commutatione enatis. Non Lutheranorum, non Calvinistarum, aut quae alia multa, sive nunc sunt, sive olim fuerunt, e partium studio ducta. Ea vero appello insignia et celeberrima nomina, quae hanc Ecclesiae Christianae instaurationem indicant universam; quae ipsa sibi ex suae indolis sensu et veluti conscientia dedit; quaeque *nomina* haud magis quam *omina* dicenda, simplicissime qui-

dem, at native et vere exprimant, quidquid in spe atque votis haberet. Sive enim se *Reformationem* dicit, sive *Ecclesia Euangelica* audit, sive *Protestantismi* nomine appellatur: singulis hisce nominibus res sibi proprias maxime, at singulares, multumque inter se diversas, expressit. Trium autem horum nominum complexus universae Sacrorum instaurationis principium exhibet triplex, fateor, neque unum, quale philosophando multi videbantur sibi invenisse; at ita triplex, ut singularum partium admirabilis quaedam sit cum caeteris cognatio et harmonia, neque aliquid sive abundet, sive desideretur, quominus, vel ex solis hisce nominibus, omnem Sacrorum emendatorum originem, progressum, vim et praestantiam, quicquid sive voluerit sive praestiterit, luce clarius perspiciamus.

Age igitur A. A. haec nomina jam deinceps viae, quam ingredimur, veluti duces sequamur. Nam, vel ego vanissimus vobis sim promissor, vel singulorum perspecta origo, vis, historia omnium optime eo nos adducet, unde universam illam Ecclesiae emendationem sic intueamur, ut ex iis, quae expetivit et inchoavit, discamus simul, quae quantaque jam porro persequenda sibi et peragenda reliquerit.

Universam illam, qua late patet, Ecclesiae Sec. XVI° instaurationem, cujus in rem Christianam omnem haec vis et auctoritas fuit, ut Ecclesia orta sit nova, doctrinâ, sacris, regimine, moribus, institutis denique tantum non omnibus, a Latinâ discrepans, nos vulgo *Reformationem* dicimus. At cave credas, hoc nomen, sua sive indole sive origine, cuncta haec significare. In omnium ore vox illa Reformationis erat, jam aliquot ante seculis, quam talem tantamque Ecclesiae commutationem aliquis vel somniando sibi proponeret.

Tristia illa Sec. XI et XII tempora loquor, quibus corruptissima Ecclesiae ratio morum imprimis et vitae Christianae

cernebatur depravatione. Quibus maximorum criminum, sed quae Eleemosynis largitionibusque facile redimebantur, ipsi Clerici Christianis ceteris exemplo erant. Quibus videbatur adeo Euangelium ipsum divinam suam ad homines emendandos vim amisisse omnem.

Nec tamen amiserat. Tantam enim vitae Christianae deformitatem non poterant non vel illi sentire et abhorrere, qui seculi sui vitiis erroribusque ceterum dediti essent. Ipsâ malorum conscientiâ audiebant illam Apostoli vocem, ad Romanos scribentis: *reformamini in novitate sensus vestri!* Quaque se maxime indigere ipsi sentiebant emendatione, quam aliis, quam omnibus ferme videbant necessariam prorsus, hanc apte *Reformationem* dixere: illam indicantes morum, vitae, animi correctionem, quam Apostolum voluisse saltem obscurius intelligebant. Quamvis igitur, qui de tali quidem cogitarent Ecclesiae Instauratione, quae omnem ejus conditionem et imprimis doctrinam spectaret, vel tum, vel diu etiam post, reperiebantur vix ulli; non deerant tamen, qui *moralem* Ecclesiae in membris suis *regenerationem* et mente susciperent, et verbis enuntiarent, et vero re factisque efficere jam conarentur.

Illustre spectaculum est, quod, his ipsis temporibus, rei Christianae historia offert. Depravatam, fateor, omnem Ecclesiam cernimus, at displicentem, reluctantem sibi, suamque turpitudinem vix amplius et ne vix quidem ferentem. Adest, crescit aliquod saltem novae vitae principium, *morale* illud, quo praecipue cetera nituntur omnia, unde melior tandem orta est Ecclesiae ratio. Et quamvis non continuo integrum emergeret vitiique expers, ita castigatum et auctum est sensim, ut aliquando carere vi sua neutiquam posset.

Ottones et henricos testor, primos illos e Germanis Romanorum Imperatores, primos etiam hoc strenue agentes, ut corruptis resisteretur Ecclesiae moribus. Romanos adeo Ponti-

fices loquor, illos scilicet, quos, post Sutriensem Synodum, eadem Germania Ecclesiae et Rectores dedit et Reformatores. O! inauditam istis temporibus rem! Papae, Papae inquam, non in Laterano latent, non Romae sordent, sed per Italiam, per Galliam, per ceteras Ecclesiae partes suscepto itinere, non opinionum, non doctrinarum, sed morum, sed vitae Christianorum inquisitores procedunt. Ipse HILDEBRANDUS ille, non suae profecto auctoritatis evehendae magis, quam vitae Christianae instaurandae, nobili studio intentus, Ecclesiae se Tyrannum, fateor, sed et Reformatorem gessit. Quod eum non alienae labis modo, sed e propriae indigentiae sensu et moerore egisse, id, quaeso, ex ipsius verbis intelligatis. »Eos, inter quos habito" sic ad amicum scribit, »Romanos, Longobardos, Normannos, Judaeis et Paganis quodammodo pejores esse redarguo. Ad me ipsum cum redeo, ita me gravatum propriae actionis pondere invenio, ut nulla remaneat spes salutis, nisi de sola mesericordia Christi. Nam si non sperarem ad meliorem vitam et utilitatem Sanctae Ecclesiae venire, nullomodo Romae, in qua coactus, Deo teste, jam a viginti annis inhabitavi, remanerem."

Sed ne solos cogitemus, aut principes homines, aut cultiores. Brevi scilicet idem ille sensus et moeror universum populum Christianum urere coepit et excruciare. Innumerabiles, suae foeditatis pertaesi, seculum hoc effugiunt, ab hominum commercio remoti vitam expetentes sanctiorem. Non capiunt multitudinem Monasteria. Aliis alii succedunt monachici ordines, vitaeque monachicae *reformationes*. Hos sodalitates spirituales excipiunt liberiores. Imo poenitentiam agere, vacare jejuniis, castigare, flagellare se ipsos, haec et similia omnibus sanctissima officia sunt, qui hominum non omnino pessimi erant.

Sic agere dudum et ebullire videmus ardens illud internae hominis reformationis desiderium. At quo se verteret, nesci-

um, et coeca veluti exspectatione oberrans, quaevis promiscue mali remedia adhibet. Sensim vero ad fines, nisi probandos plane, meliores saltem certioresque dirigitur. Quo enim tempore Concilii Patres Constantiensis talem publice clamant morum Ecclesiae emendationem, quae ab ipsius Papae summorumque Praelatorum meliori vita et gubernatione ad ceteros, ad infimos Christianos descenderet, quam ideo *Reformationem in capite et membris* apte dixerunt: eodem, inquam, pius ille Thomas a Kempis nostratibus, imo Christianis universis, ad *imitationem Christi* ducem se praebet, e singulorum quippe animi emendatione, recte sibi proponens, optimam orituram totius Ecclesiae instaurationem.

Neutrum frustra profecto. Ex utriusque enim rei, sibi licet invicem oppositae, conjunctione generosior illa fluxit Theologiae mysticae ratio, quae XV Seculo in Gersone atque in aliis cernitur, cujusque in Lutherum, in ceteros Reformatores vis maxima fuit.

Huic autem Luthero, quaeritis, undeman primum et maxime nata sit illa Ecclesiae Romanae aversatio meliorisque rationis ingens cupido? Scilicet e conscientiae voce et morsibus. Hi e sopore eum suscitaverunt. Hi de salute sua eum reddiderunt sollicitum. Hi docuerunt tandem, non habere, non dare saltem Ecclesiam Matrem, quibus liberorum suorum malis vere succurreret, quibusque peccanti homini ad animi pacem, ad bonitatem vitae, ad mortem beatam denique, viam certo muniret. Id autem tum maxime perspexit, cum populi Christiani confessiones audiret, ad impudentissima quippe provocantis diplomata indulgentiarum, quibus peccatorum veniam, coelestis adeo Paradisi gaudia aere parasse sibi gloriaretur. Tunc indignatus prorsus debellare errorem, unicumque illud, quo se, quo alios indigere sentiret, vitae Christianae remedium, indicare omnibus et administrare instituit. Sic A. Al magno tandem operi manum admovit, quod, a potiori facta

denominatione, *Reformatio* dicitur.

Perfecitne autem LUTHERUS, quod expetitum diu, ipse omni animi sui molitus est agitatione? Perfeceruntne ceteri *Reformatores*, quibus, ad unum omnibus, idem sanctum validissimumque agendi principium erat? Nostros imprimis, ZWINGLIUM, et CALVINUM dico, illudne perfecisse censebimus, quippe qui illius exstitere conditores Ecclesiae, quae ideo *Reformatae* κατ' ἐξοχήν videtur nomen sortita, quoniam mentis ac vitae regenerationem, summamque morum disciplinae severitatem, prae ceteris curae cordique haberet? — Dicam quod sentio. *Quo* studio immortales isti viri fervebant, eodem mox ita incenderunt innumeros, ut Christianorum instaurati mores fructus viderentur praecipuus, quem haec rei Christianae immutatio ferret. Profligantur foedissima Ecclesiae vitia. Reviviscit sensus moralis, sensus religionis, vitae vere Christianae amor. Ipsa adeo antiqua Ecclesia salutarem hujus rei vim experitur. Quaeque horum omnium caussa et effectrix erat, Sacrorum emendatio, jure omnino *Reformationis* se et *Ecclesiae Reformatae* nomine dixit.

Uti vero nomen illud mox alia bene multa, exteriorem mere Ecclesiae commutationem spectantia, significare coepit, ita factum, eheu, ut pristina ac praecipua vocis vis oblivioni data, saltem apud quamplurimos, fuerit: *Reformationis* adseclas quippe, *Reformatos* adeo sese dicentes, quamvis Ecclesiam, non se aut suam vitam, plane emendatam cuperent.

Sed aliud gravius etiam malum accessit. Nam aetas rediit, qualem Ecclesia jam saepius ante viderat, qua orthodoxa ratione sentire pluris fieret quam prudenter vel pie agere; qua malum habebatur, secundum mores vitae errare, pejus vero ab Ecclesia dissentire; qua Theologia Christiana, expurgata licet, nullis non quaestionum tricis et nodis involuta rursus et obscurata Protestantium animos ita tenebat, ut omnem Ecclesiae ho-

minisque Christiani salutem in locis difficillimis definiendis extricandisque positam existimarent. Quae sane tempora, seculum autem XVII et XVIII loquor, si Thomas ille a Kempis vixisset, iterum dixisset fortasse: »quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde placeas Trinitati? Vere alta verba non faciunt sanctum et justum, sed virtuosa vita efficit Deo charum."

Ubinam gentium id temporis reperiebatur igitur sincerum illius *Reformationis* studium, a Seculis inde desideratae et expetitae, ab Ecclesiae Instauratoribus tandem monstratae omnibus atque paratae? Scilicet in piis eorum maxime hominum votis et desideriis, quibus, *Reformationem* sua spe multum excidisse lugentibus, illamque ad germanum suum principium revocare nitentibus, haereseos labes inurebatur. Et horum quidem Pietistarum (nam sic dicebantur, qui vitae Christianae pietatem praecipuo loco colebant) horum Pietistarum igitur, sua vice licet in extrema ruentium, ad germanam *Reformationis* indolem restituendam magna vis et efficacitas fuit. Dogmaticorum vero, qui tum dominabantur, frangendo imperio tam impares erant, ut, suo etiam nunc tempore, haud supervacaneum duxerit Theologus praeclarus, Ewaldus Hollebeek, ex hac ipsa Cathedra, vel suo periculo monere: *Theologum non vere orthodoxum, nisi vere pium, esse.*

Nostrâ fortasse aetate non plane eadem monuisset. Theologos certe vix invenisset, hoc vel in se dictum putantes, vel aegre ferentes, Quod vero de suo tempore profitebatur: »loco laetissimorum pietatis, temperantiae, justitiae, pacis, amoris, reliquarumque virtutum vere Christianarum fructuum, quibus olim ferax erat ager Ecclesiae, infelix turpissimorum vitiorum lolium et steriles avenas dominari:" idem, eheu! et de nostro verissimum esse, vident hoc et dolent cordati bonique omnes. Haec profecto consideranti, *Reformatio* mihi suam hodieque ita

inchoasse caussam videtur, ut, nomine illo, non peractae jam indicium et testimonium rei, at peragandae ulterius spes et exspectatio contineatur. Nam licet, quod esse fanaticorum solet, minime hoc sibi sumserit, ut sanctam et perfectam in terris Ecclesiam sisteret; hominis tamen emendationem *moralem* maxime, vitaeque sanctimoniam, ad quam ipsa monstravit munivitque viam, uti Christianae Religionis, sic et suae caussae principium esse, id vel uno hocce *Reformationis* nomine palam omnibus declaravit. Quo igitur nomine suos, his etiam temporibus, hortatur monetque, quid maxime curae cordique iis sit oporteat, si esse, non dici tantum, *Reformati* velint.

In Sacrorum autem instaurationis indolem et consilia inquirentibus, non unam rem, sed plures multumque diversas nobis considerandas esse: hoc A. A. alio ejus nomine admonemur. Non enim forte et casu accidit, ut Fridericus Sapiens, sive quisquis alius primus id fecerit, se *Euangelicum* diceret, utque, non Lutherana modo, sed et Reformata Ecclesia *Euangelicae* titulo se insigniri maxime vellet. Ea nimirum huic nomini inest vis et auctoritas, ut, pariter ac Reformationis nomen, fundamentum indicet, quo Sacrorum omnis emendatorum caussa, non a Lutheri modo inde aetate, sed jam antiquiore, nitatur.

Illa iterum memoro tempora, quibus Ecclesiae et vitae Christianae miserrima ratio complures perpetuo excitabat, qui tanto morbo medicinam expeterent. Quos tamen non continuo invenisse, quod quaererent, optimam adeo atque unicam malorum medelam paucissimis tantum, nec nisi post irritos conatus multos, tandem repertam esse, id, doleamus licet, non est quod miremur.

Ecce vero, dum in ritibus superstitiosis indocti, in exter-

narum Ecclesiae rerum emendatione doctiores, omnem diu Reformationis spem et exspectationem ponerent, nonnullis saltem lux oritur. Sacer aperitur Codex. Euangelium innotescit. Quo ducti, non amplius, coecorum instar, quaquaversum manus tendunt, suam simul et Ecclesiae salutem frustra plane expedire conantes; sed vero, quid desiderarent, et quo indigerent, intelligere certo et sibi comparare coeperunt.

At cave credas, paucisimis istis, quibus vel innotescerent, statim etiam recte usurpata fuisse Volumina Sacra. Celebramus merito Waldenses, Viclefum, Hussum, alios, utpote qui obscuris istis temporibus magnae rei fecerunt initium, omnium primi ad Sacri Codicis provocantes auctoritatem. Sed, uti Waldenses quidem, imperfectissimâ muniti Euangeliorum cognitione, vix majora spectasse videntur, quam, futilia saepe sectantes, Apostolicae vitae imitationem; ita Viclefus, Hussusque, suo singuli consilio ducti, maxime vel Hierarchiae vel ceteris turpissimis Ecclesiae vitiis Sacram paginam opposuerunt. Unus fere occurrit, noster ille Wesselus Gansfortius, ipsa jam ad Literarum Sacrarum normam revocans doctrinae Ecclesiasticae placita; ad Euangelii autem caput et meditullium ita penetrans, ut ingenue fateretur Lutherus: videri facile posse, se omnia sua e Wesselo hausisse.

Quam vero hi omnes coeperunt caussam Euangelii agere, hanc tandem sartam tectamque reddiderunt Ecclesiae Reformatores.

Erasmum cogito, — nam quid verear Reformatorem eum dicere, qui ipse potius sine Sacrorum Instauratione, quam haec sine eo esse Instauratio potuisset — Erasmum inquam, qui Ecclesiae non modo aut profanarum aut Ecclesiasticarum literarum, sed ipsius N. T. Graeci, lumen primus accendit. Zwinglium appello, sanam maxime ac germanam S. S. cognitionem, qua a teneris imbutus erat, omnium primum publice at placide adhibentem.

Quo vero LUTHERUM, vehementis ingenii virum, fuisse animo existimatis, cum post multas demum intestinas pugnas, nullis non pectoris sui agitatus procellis, ad Codicem S. tandem Christique Euangelium, tamquam ad salutis quemdam portum, appelleret? Scilicet vel una lecta illa, intimisque animi sensibus percepta, Euangelii vox: *Gratis Justificamur!* sic eum inflammavit totum, ut non ipsi magis quam Ecclesiae vitam reddiderit. Sancto plane incensus ardore surgit jam Dei Athleta, Divini verbi Christique Euangelii caussam vindicaturus. Ipsius excitati voce surgunt identidem hic illic alii multi, in diversa abeuntes quidem, sed S. Codicis, sed Euangelii *studio* et amore conjuncti. Lux in tenebris oritur. Rediisse tempora dixisses, quibus primum hominibus innotesceret coelestis Doctrina. Fatigatis requies, misere aegrotantibus optima medicina paratur. Nam publici fiunt juris Volumina Sacra. Unica sunt vitae Christianorum atque fidei norma. Quaeque nova jam oritur Christi in terris Ecclesiae ratio, haec, non sane una de causa, at suo jure, se *Euangelicam* dixit, utpote quae, spretis quibusvis turbidis rivulis, unius Sacri Codicis fonte nutritur, unius Euangelii praecepta et auctoritatem sequitur, et vero illam maxime doctrinam omni studio tuetur fovetque, quam totius Euangelii merito veluti medullam et animam habet: *peccantes nos homines, non nostris meritis, sed per Dei gratiam, positâ in Christo fide, servari!*

Haec igitur, haec, inquam, praeclara illa sunt bona, quorum Reformatio volebat suos participes esse, quaeque, adsumto sibi *Euangelicae* nomine, se concessuram iis spem fecit et exspectationem.

Suisne autem stetit promissis? An vero spe atque votis eam excidisse putabimus? — Profecto durus et caecus adeo sit oportet, qui in magnis illam non voluisse modo, verum etiam effecisse non grata mente et mirabundus fateatur. Stupemus adeo ad

Erasmi, Lutheri, Calvini, Bezae aliorumque bene multorum, in Sacris Literis interpretandis, divulgandis, exantlatos labores. Neque possumus satis eorum sive doctrinam, sive prudentiam, sive pietatem laudare, quibus in exponenda, suis symbolis, Doctrina Biblica, suo singuli modo elaboraverunt.

Sed longa et difficilis ars est, Sacras Literas interpretari. Difficilior etiam, Divinam, quam complectuntur, doctrinam humano modo reddere. Hic praesertim non uno saltu licet ad perfectionis metam venire. Id, si qui alii umquam, ipsi illi intellexerunt Reformatores, non aliud metuentes magis, quam ne suis laboribus abusuri aliquando posteri essent. »Ne vos *Lutheranos* dicatis;" ipse Lutherus inquit »nullius volo Magister esse. Mea vero scripta eo loco ponite, ubi ego nugas Pontificias projicere soleo, si Sacrarum Literarum studium et auctoritatem vobis impediant." At brevi locum habuit, quod metuebant illi. In eorum laboribus acquiescere, in eorum verba jurare, hoc nimirum malebant tardiora successorum ingenia, quam ipsorum vestigiis insistentes ad veritatis lucem altius surgere. Omnem actam et consummatam emendatioris doctrinae et Ecclesiae caussam esse, praepostere coeptum est existimari. Codex Sacer ita suis perfunctus credebatur officiis, ut veritatis divinae, cujus veluti cortex erat, nucleum et vim omnem suis singuli Symbolicis libris tenere sibi viderentur. Non fontis perennis amplius, sed exhausti jam dudum a Reformatoribus rivuli instar erat. Neque Theologiae dominam et magistram, sed ministram potius aut ancillam, Divinam paginam habebant saltem quamplurimi.

Quid mirum A. A.! si jam fieri potuerit, quod factum stupemus dicam, an dolemus maxime? Exstitit Hugo ile Grotius, omnium, qui unquam Sacras Literas interpretati fuerant, ita princeps, ut primus suo jure censendus sit hanc caussam egisse. At — horresco referens — per seculum et quod excurrit, divinas, quas condidit, *Annotationes* non scripsisse

quamplurimis Theologis videbatur: suam scilicet Theologiam S. Literarum luce censentibus periclitari.

An temporibus igitur istis cultum, aut servatum adeo, quo par erat modo, Euangelicum Reformationis principium dicemus? — Respondeat frigida illa Theologiae ratio, Scholastica et Aristotelica potius, quam aut Biblica, aut Euangelica vere dicenda. Respondeat ipse princeps ille doctrinae Christianae locus, quem praecipue, Euangelii utpote animam et meditullium, e tenebris in lucem protractum Reformatores volebant. Iterum scilicet definitionum distinctionumque sic obrui mole coepit, ut simplicem illam de via salutis nostrae doctrinam Euangelicam, in Theologorum systematibus, saepius frustra quaesieris. De Sacri autem Codicis auctoritate suprema, nolite istis temporibus quaerere, quibus Polemices armamentarium magis quam verae doctrinae fons et norma factus esse videbatur.

Sed melior dies illuxit. Ad liberam S. Codicis reditur explicationem. Surgit Ernestius, quem optimum, post Hugonem Grotium, S. Literarum interpretem ex hac ipsa Cathedra, justis laudibus, noster quondam Voorstius celebravit. Critica, Hermeneutica, Exegesis Sacra sibi dignum tandem inter disciplinas Theologicas locum accipiunt. Neque alter ille Theologiae veluti oculus, Historia, deest, cum Grammatica scilicet rite conjuncta, meliorem monstrans S. Codicis interpretandi viam. Quorum omnium haec maxime vis et efficacitas fuit, ut, profligatis inanibus istis distinctionibus quaestionibusque, Theologia, uti nomine, sic re jam coeperit Biblica et Euangelica esse.

Et haec quidem reputans, fore suspicor, qui nostri temporis felicitate exsultent; quippe quo id, quod ipsi rei Christianae Instauratores volebant maxime, perfectum expletumque facile quis existimaverit: inprimis qui linguarum reputet, idiomatis praecipue quo N. Testamenti scriptores usi sunt, studium psychologicum novo et praeclaro hodie auxilio esse interpretantibus Codicem Sacrum.

At vereor ne alii, iisque prudentiores, aliter longe praesentem Ecclesiae Euangelicae conditionem sint judicaturi. Supersunt scilicet, novis adeo viribus surgunt, nomine Euangelici, at suam rerum divinarum doctrinaeque salutis nostrae notitiam ex nullis non turbidis rivulis potius quam ex ipsius Euangelii fonte haurire nitentes. Contra vero ipsam multorum subtilissimam illam in Libris S. explorandis, interpretandis, adhibendisque curam et sollicitudinem, ita sua vice in extrema ruere his ipsis diebus vidimus, ut, quod SENECA dixit, id suo exemplo comprobarent: *»nihil odibilius esse subtilitate, ubi nihil aliud est quam subtilitas.”* Novistis enim Criticorum, si Dis placet, Interpretum, eo usque hodie processisse temeritatem, ut tum maxime videantur sibi suorum laborum fructus tulisse, ubi Sacrum Codicem non sanent sed truncent; ubi Apostolos, bonos quippe homines, bona fide, fabulas narrasse demonstrent; ubi Divini adeo Sospitatoris non nisi speciem nobis umbramque relinquant.

Hoc superest A. A.! ne nos quidem, hac nostri temporis felicitate, metam jam esse adsecutos, neque actam aut consummatam caussam esse, quam Reformatores, ad Euangelium provocantes, sibi mente proposuerunt. Non subsistendum igitur, nedum deficiendum, sed semper proficiendum erit in libera at modesta S. Literarum inquisitione et usu: si velimus saltem *Euangelicum* illud *Reformationis principium* servare nobis et sancte colere. Nam S. Codicem et Euangelium maxime, non modo supremam legem et normam habere, sed vero et inexhaustum fontem, unde salutis nostrae doctrinam puriorem perpetuo atque certiorem petamus; unde nutriamur inprimis et corroboremur ad beatam et coelestem vitam: hoc demum significat *Euangelicum* esse.

Qua sit opportunitate factum, ut, quae Reformatam et Euangelicam sese diceret, Ecclesia, *Protestantismi* dein appellari nomine coeperit, omnibus notissimum est. Serius id locum habuit, et, si quid aliud, casu factum videri facile posset. At nolite existimare, sive recens nomen rei arguere novitatem, sive insitam rei vim hac fortuita, ut videtur, denegari appellationis origine. Fluxit nimirum ex ipsa magnae hujus rerum conversionis natura et proposito. Hujus adeo vitale principium ita exprimit, ut neque Reformata, neque Euangelica, non accedente Protestantismo, fuisset.

Quid enim? quibus Christianae pietatis et sanctitatis exarserat studium, quibusque ipsum Euangelium jam esse dux vitae et lux veritatis coeperat: iidem illi quomodo tandem potuissent non *protestari*? i. e. sancta pleni indignatione manifeste denuntiare, omnibusque viribus oppugnare quicquid exoptatissimis hisce bonis obstare viderent.

Et sane quo modo in historia crescere Christianis et invalescere vidimus Reformationis desiderium Euangeliique amorem, eodem et Protestantismum illum excitari paulatim et augeri cernimus. Pro humana adeo imbecillitate jam ante multi, quae improbabant destruere, quam possent meliora dare, temerario sane ausu sustinuerunt.

Sectas illas dico, quas uti Romanae tyrannidis odium et indignatio, sic propriae indigentiae sensus ita in fanaticos plane furores rapiebat, ut, Petro Bruisio, Tanquelino, aliis ducibus, Episcopos, Clericos, sacros Baptismi et Eucharistiae ritus, omnem adeo Ecclesiae Catholicae rationem pedibus veluti calcarent, licet quid meliori ipsis solatio esset nescirent prorsus. Arnoldum dico Brixiensem illum, qui, XII jam Seculo, in patria, primum et Helvetia, Hierarchiâ oppugnata Papali, mox in ipsa Romana sede, plaudentibus omnibus, Senatus Populique adserta auctoritate:

»Consiliis armisque sua moderamina summa
Arbitrio tractare suo: nil juris in hac re
Pontifici Summo, modicum concedere Regi,
Suadebat Populo."

In cujusmodi etiam Protestantium numero ipse se collocavit Rex ille Christianissimus PHILIPPUS PULCER, cum Papali lacessitus audacia, Sancto Patri sic rescribere haud erubesceret: »BONIFACIO, se gerenti pro Summo Pontifice, salutem modicam aut nullam! Sciat tua maxima Fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse; praebendarum vacantium collationem ad nos jure regio pertinere: —, collationes a nobis factas et faciendas fore validas: — secus autem credentes fatuos et dementes reputamus."

Ecce vero, universos jam populos ardor ille libertatis invadit. Quod Nationum cum aliarum tum Germanicae inprimis *Gravamina* docent; quibus contra Paparum dominationem sua jura tueri fortiter sustinebant. Ipsi Ecclesiastici adeo, Galli, Belgae, Germani, alii, turpem Curiae Romanae licentiam aegerrime ferentes ac lacrymantes, hoc *protestandi* jure utuntur. A Summi Pontificis voluntate ad supremam provocant auctoritatem Ecclesiae. Hanc autem, inauditam a multis inde seculis, Christianis legem ponunt: legitimo Concilio Papam subesse.

Et haec quidem omnia Ecclesiae ad maturiorem aetatem jamjam accedentis studia produnt. Sui enim conscia juris impune lacesci neutiquam amplius se velle, sic verbis factisque ostendebat et declarabat. Iidem vero conatus isti, obscuriori scilicet vel perverso etiam malorum, quae premebant, sensu nixi, genuinum quidem et nobile protestandi principium minime sistunt. Id nimirum tum oriri demum vel sua vi agere potuit, ubi e sincero flueret, uti moralis emendationis studio, sic ipsius imprimis Euangelii amore et usu. Quae si ante ipsa

quidem Sacrorum emendatorum tempora usquam reperiuntur, in uno certe, quem jam commemoravimus, WESSELO adsunt.

Hic, si quis alius, quid rei Christianae deësset, persentiens, et Euangelicae simul veritatis nutritus ac corroboratus meditatione, veram etiam Christiani hominis libertatem et ipse intellexit primus et alios docuit. Germanum autem Protestantismi principium sic ore scriptisque explicuit, defendit, sartum tectumque reddidit, ut suspicari liceat, LUTHERO eum, hac certe in parte, non praelusisse modo, sed vero unicam salutis Ecclesiae expediendae viam monstrasse, viresque ei fiduciamque dedisse, quibus hic, omni missâ tandem, quâ diu plenissimus manserat, Summi Pontificis veneratione, Romanum et favorem et furorem contemneret pariter, ipsas Papales Bullas, Canones, Decreta flammis traderet publice, signumque omnibus daret, novam jam illuxisse aetatem Ecclesiae.

Sic igitur *Protestantismi*, quamvis desiderabatur nomen, res aderat vigebatque. Nec profecto celeberrima illa Torgaviensium in Spiranis Comitiis *Protestatio* novum nomen suppeditasset, — factionis fuisset appellatio mox peritura, — nisi nativa ratione id maxime indicasset, quod omnibus Reformationi et Euangelio addictis, ceterum licet in diversa abeuntibus, non poterat non carum et sanctum esse. Humanam enim in Religionis caussa contemnere auctoritatem, quaeque ex turbido isto fonte, in Ecclesiae regimine, ritibus, moribus, doctrina maxime, immensa mole, Euangelio adversantia invaluerant, repudiare et projicere foras: hoc decebat ingenuos homines, qui Deo quam hominibus servire malebant. Hoc studio, ut sanctissimo, ducebantur toti. Hoc adeo effecerunt, quod solo, sive Reformationis moralis desiderio, vel ardentissimo, sive Euangelii amore, vel purissimo, haud potuissent. His vero arctissime junctis, ecce, rumpuntur servitutis vincula. Quaeque antiquae Ecclesiae opposita jam nova surgit, Christiana libertate florens, haec eo nomine libera esse suique juris stu-

det, quomagis vere euangelica et reformata esset.

Hanc utinam sancte sibi legem servasset! Utinam, quam monstraverant viam, quâ praeiverant ipsi Ecclesiae Instauratores, eâdem porro perrexissent omnes, qui ab illorum partibus stabant! Reformationis quippe et Euangelii studio germanum jungentes Christianae libertatis amorem, quo praeclari illi viri, aut alios sibi, aut se aliis, magistros esse et legislatores nolebant: unum quippe omnibus Magistrum habentes Coelestem Dominum; unam legem et normam, Codicis S. doctrinam; unum denique finem et consilium: recte vivere et beate mori.

At licet non graviter irascamur iis, qui, a Reformatoribus propius distantes, quae hi praeclare egissent, omnia pie colerent sancteque servarent; licet adeo ex religione ista, illis saltem temporibus, bona fluxisse minime dubitemus; — ecquis tamen non lugebit, venerationem hanc ita subinde nimiam factam, ut quo loco Sanctos Patres Catholici, eodem suos Reformatores saepenumero Protestantes haberent, quamque illi Ecclesiae suae, infallibilis scilicet, placitis vindicant auctoritatem, eamdem ferme suis singuli Symbolis tribuerent horum quamplurimi. Sic labefactata est, Christianis vix enata, libertas. Sic ipse novam Catholicismi formam induisse videbatur Protestantismus. Sic Chemnitii, Gerhardi, Witsii, Vitringae, Venemae, alii, de Theologia licet egregie meriti, non prohibuerunt, quominus in omnem Protestantismi rationem multum dominaretur iterum humana auctoritas.

In hac profecto rerum conditione haud admirabile est, id locum habuisse tandem, quod seculo proxime elapso factum scimus. Surgunt libertate et impetu pleni *novi* illi, non *Reformatores*, sed *Protestantes* dicendi, severiorem jam Euangelicae doctrinae medicinam parantes, quam Catholicae olim fecerant Sacrorum Instauratores. Laudabili, fateor, ut consilio, sic

instituto multi Theologiam servilem, miseram, vinculis solvunt, sordibus purgant. Sed temeritatis eo usque plurimi progrediuntur, ut Divina nefando ausu confundentes humanis, ipsius Patefactionis Divinae auctoritatem spernant, unamque celebrent ac colant rationis humanae αὐτονομίαν. Quorum sane criticorum curas Theologia Christiana eo experta est modo, quo aegrotantes medicorum subinde solent operam experiri. Quae enim afflicta et saucia erat, sic valetudini restituta est, ut vitam jam vix vitalem traheret.

Sed extrema se tangunt. Dum enim positos Protestantismo fines alii spernunt, revixit multis Theologiae veteris ac diu jureque repudiatae amor. Conquiruntur undique, devorantur libri, a longo jam inde tempore e bibliothecis profugi Theologorum, in iisque modo inveniendi locis, ubi cicer et piper venditur, aut quidquid chartis amicitur ineptis. Frustra vixisse videntur Semleri, Ernestii, Hollebeekii, Bonneti, alii, quorum nomina colet etiam postera aetas. Duo adeo ex Historia eliminantur secula, quibus frustra vixisse genus humanum impie creditur.

Et his quidem extremis de imperio veluti certantibus, diebus etiam nostris, non sane est quod gloriemur, vel hodiedum vigere satis germanam ac nobilem illam Protestantismi rationem, qualem, ut maturiori consentaneam Ecclesiae conditioni, Sacrorum Instauratio in spe et votis habuit. — Quodsi quaeratur, quid postissimum desideretur, aut mali causa ubinam praecipue lateat, in eo ipso, quod omni hac mea oratione spectavi, ego quod respondeam habeo. Uti reperiuntur nimirum, qui, aut sine Euangelio reformati, aut sine Reformatione et Protestantismo sibi videntur Euangelici esse; ita non desunt, qui vel sine Reformatione et Euangelio esse Protestantes velint. At A. A.! Sacrorum Instauratio non simpliciter vel Protestantem se, vel Euangelicam, vel Reformatam dixit; triplice vero usa est nomine, triplex, quo omnis nititur, suae caussae principium indicans. In horum demum arctissima conjunctione

mnis ejus vis et praestantia et divinum plane consilium cernitur. Vis illa perit, consilium illud evanescit prorsus, ubi unum horum prae caeteris extollitur, ultimusque ejus vel unicus finis habetur. Est enim sine Euangelio et Christiana libertate Reformatio nulla. Nec illi profecto veri nominis sunt Protestantes dicendi, qui vel sincera sui emendatione, vel Euangelii amore carent ac veneratione. Quid plura? Hanc vidistis Sacrorum Instaurationem tenuisse viam, ut ex hominum Christianorum moralis indigentiae sensu origine ducta hac expergefactos docuerit et excitaverit primum ad ipsius confugere Euangelii fontem: cujus dein amore et usu Christianam illam appetiverunt et sibi vindicarunt Libertatem, ad quam eos Reformatores et vero Christus vocabant.

Est haec profecto, ordine licet inverso, hoc tempore via sequenda. Quibus enim jam tam felicibus esse contingit, ut hac praeclara luce utantur, quibusque servitutis illa rupta sunt vincula, his quid tandem Christiana hac esse carius libertate aut sanctius potest? At decet hos ita Protestantes esse, et sic, qua gaudent, libertate frui, ut unius Euangelii legem, praecepta, doctrinam sequentes, hujus divina vi, quoad ejus fieri possit, intus emendati ac reformati, vivere recte discant ut moriantur beate.

Quod A. A.! si magis in dies singuli agant: O! beatam Reformationem! O beatam ipsius Christi Religionis inter homines sortem! Quam enim praeclarissimam caussam haec Ecclesiae emendatio liberando homines, ad Christi Euangelium eos ducendo, maxime reformando eos, in hunc usque diem egregie agit, hanc consummabit et perficiet tandem. Alii quoque, at recentiori, suo respondebit nomini, quod a nobis in hac oratione usurpatum saepius fuit. Ingens erit universae in hisce terris rei Christianae Instauratio, qualem suis licet aut proximis seculis minime sibi proposuerint Reformatores,

tamen aliquando fore sperabant, et nos futuram pie certoque confidimus. Veniet, veniet, hâc nostrâ melior aetas. Omnem insitam sibi vim explicabit et exseret Reformatio, Christique in hisce terris instauratâ Ecclesiâ, instauratâ Religione, haec, quam omnis spectat, perficiet tandem **humani generis regenerationem!**

Verba feci hucusque Hum. Auditores! ut animo satisfacerem meo, neque id praetermitterem temere, quod Magistratu Academico abeunti lex quidem imponit nulla, sed mos Majorum esse sanctum jubet.

Ad aliud venio, quod necessitate legis non minus, quam hujus Academiae caritate a me video postulari. Hoc enim solenni die oportet ea commemorare, quae, me Rectore, Academia sive maxime prospera vidit, sive tristiora experta est. Utrumque legislator prudenti consilio junxit, probe sciens, hanc rerum humanarum conditionem esse, ut neque mala bonis, neque vel optima et faustissima malorum careant commixtione.

Mihi autem tam esse felici contingit, ut tanta quidem non sit lugenda strages, quantam olim, quantam anno imprimis proxime elabso, Reuvensio et Hamakero in summo aetatis et doctrinae flore exstinctis, bonae literae, Patria, haec imprimis Academia lacrymabantur et illacrymantur adhuc. Uni parentandum est, ex Professorio ordine, seni, at seni Smallenburgio,

quem, per quadraginta licet et quod superat annos hujus Academiae lumen, citius ereptum nobis omnes dolemus.

NICOLAUM SMALLENBURG edidit Nootdorpium, Delflandiae vicus, anno superioris seculi sexagesimo primo, die primo mensis Decembris. Rure educatus licet, a docto tamen ac pio parente, qui Ministerii S. munere fungebatur, ad omnem humanitatem pietatemque liberaliter fuit institutus. Adolescens parentum votis sua submisit. Nam, non mari se, quod maxime voluisset, sed Literis dedit, et in Schola Delphensi deinde NOODTVEGENIO usus est praeceptore eximio. Sic ad bona et egregia omnia paratissimus hanc adiit Academiam, in qua per plures annos, cum ceteris disciplinis, tum Jurisprudentiae maxime, duce viro summo, BAVIO VOORDA, sic operam dedit, ut valedicens illi, non laureâ doctorali magis, publice acceptâ licet, quam rara ingenii ac doctrinae famâ, praeceptorumque singulari benevolentia et existimatione ornatissimus esset. Testatur id editum ab eodem BAVIO VOORDA testimonium, an vaticinium dicam? Cum enim Utriusque Juris doctorem crearet SMALLENBURGIUM, hunc ille publice dixit, sic aliquando, si Deus vitam largiretur, aliis praeclarum Juris Antecessorem fore, ut optimus in paucis discipulus fuerat.

Hanc spem ita non fefellit SMALLENBURGIUS, ut superaret. Nam paucissimis modo interjectis annis, quibus Trajecti caussas in foro publicas egit et Capituli S. Mariae Graphiarii est munere functus, Franequeram vocatur Juris Romani Professor. Quem locum ita ornavit, ut anno jam millesimo septingentesimo nonagesimo eum suum esse vellet Academia nostra. VOORDAE scilicet, Viri Clarissimi, quem temporum, anno seculi octogesimo septimo, injuria suo munere pepulerat, cathedrâ etiamnunc vacante. SMALLENBURGIUS autem, qua erat animi integritate, nolebat statim dilectissimo praeceptori, hoc qui-

dem modo, successor dari. Pietati tamen concessit, cum ipse ille, qui iniquitatem passus erat, solatio sibi fore significaret, si germano saltem discipulo locum fecisset.

Tanto autem studio SMALLENBURGIUS se huic Academiae dedit, ut vel Senatorium munus, in Suprema Hollandiae Curia, semel et, ut audivi, iterum ei oblatum, facile sperneret, quomagis caussae jam sibi mandatae prodesset. SCHULTINGIANAE Scholae in hac Academia stator, hujus celeberrimi viri nomen, et vero suum, posteritati commendavit, editis ejus atque suis ad *Digesta* notis eruditissimis. Ceterum studiosae juventuti omnis vixit. In docendo quippe promptus, alacer et, ut omnes, qui eum audiverunt, testantur, mire perspicuus, ad ultimam senectutem usque. Discipulorum autem ita amans, ut singulari omnes eum amplecterentur amore, PATREM SMALLENBURGIUM eum vulgo dicentes. Quid mirum, si vel propter septuagenariam aetatem honorificentissime rude donatus, aegerrime tamen suis scholis vacaret. Quo tandem facto, Warmondam se contulit, beatam mortem expectans, quam superiori anno, Julii die vicesimo, placide obiit.

Laudandus maxime idem et laudatus fuit, etiam a Rege optimo, qui Ordinis Leonis Belgici equitibus eum adscripsit. Erat autem vir bonus et justus, talis omnino, qualem ipse aliquando ex hoc loco, habita Oratione, proposuit: *de viro justo, civium optimo et felicissimo.* Erat Christianus imprimis, nec publice tantum frequens Dei cultor, qua re Studiosae Juventuti exemplo egregio fuit, at mente pius et integer vitae, inque vita et morte omnem spem suam in Christo ponens; quod testantur ii, qui exspiranti adstabant. Sit illi terra levis! Nec desint Leidae unquam SMALLENBURGIO maxime similes!

Imaginem viri filia, quam ex quatuor liberis solam morte sibi praereptam non vidit, nuperrime Academiae dedit; sicuti REUVENSII imaginem relictae ejus viduae pietati debemus. Uti-

nam HAMAKERI, desideratissimi Viri, icone carendum haud in perpetuum esset!

Venerandum senem mors nobis abstulit. At nec florentissimae juventuti pepercit. Majori adeo quam umquam, nostrâ memoriâ, numero, ad tredecim usque, in his praeclaros optimaeque spei juvenes, ultimo fato, uti caris parentibus et amicis, ita nobis praereptos, dolemus[1]. Quae sane numeri magnitudo, si vel insigni Studiosorum frequentiae, qua hodie Academia floret, haud plane sit inaequalis censenda, vobis tamen, lectissimi Juvenes! clamat illud: mementote mori! Non sane ut animum despondeatis, sed vero ut vitâ et viribus, quas vobis Deus largitur, eo alacrius utamini ad bona et laudabilia omnia. Cujus alacritatis cum alia magno numero inter vos praeclara exempla habetis, tum Celsissimos illos Principes, quibus civibus suis Academia nunc gloriatur. Horum quippe, uti ingeniorum et progressuum felicitatem, ita diligentiam et assiduitatem ipsi etiamsi praeceptores non laudarent, vel ventorum clamarent procellae, quas spernunt illi, ut Professorum scho-

---

[1]) JACOBUS ANTONIUS TAK, *Med. Cand.*
WYNANDUS SPIKER, *Theol. Stud.*
GUILIELMUS VAN DER WERFF. *Theol. Stud.*
JOHANNES MATTHIAS LEENDERTS, *Med. Cand.*
ANTONIUS HENRICUS HERBERTUS DE KESSCHIETRE VAN HAVRE, *Jur. Stud.*
HENRICUS MARCELLUS EMANTS, *Jur. Cand.*
ABRAHAMUS ANNE DANIEL VAN SCHUILENBURG, *Jur. Stud.*
JANUS BRANDS VELTMAN, *Jur. Stud.*
JOSEPHUS FELIX LAARMAN, *Med. Stud.*
GUILIELMUS CORNELIS VOORDUIN DE TIMMERMAN, *Med. Cand.*
JOANNES PHILIPPUS WALTHER, *Theol. Stud.*
ABRAHAMUS PETRUS JOANNES GILLISSEN, *Theol. Cand.*
PETRUS JACOBUS GILLISSEN, *Med. Cand.*

lis intersint. Deo autem gratias maximas agimus, cui placuit, ipsum vitae periculum, in quo, Novembris die illo nono et vicesimo, versabantur, sua avertere benignitate.

Et hanc quidem benignitatem Dei non possumus non, in ceteris omnibus hujus Academiae rebus, grata ac pia mente laudare et memoria colere.

Haec salvum nobis fecit Regem Optimum, qui, uti omnium in Patria Academiarum reique literariae saluti prospicere pergit, — quod novissima illa decreta testantur — sic Lugduno-Batavae maxime decus et gloriam sibi curae cordique esse, et re factisque probat, et nuper verbis testatus est.

Haec vos incolumes esse voluit, Curatores illustres! quorum et benevolae maxime curae, et vero singulari, qua apud Regem gaudetis, gratiae res nostras omnes ultro ac tuto committimus.

Hoc vobis omnibus, Clarissimi Viri! Collegae honoratissimi! vitam servavit viresque, quibus huic Studiosae Juventuti, quibus Literis atque Patriae, sicuti facitis, prodesse possitis.

Tibi adeo, celebratissime VAN DER PALM! reddidit vitam, non tibi tuisque magis quam nobis omnibus caram et pretiosam. Nam ex eorum es numero, quorum ita sempiternam nobis exoptaremus praesentiam, uti posteris immortale nomen erit. Tecum doluimus, cum, exstincta morte dilectissima et praeclarissima filia, praereptum tibi verebamur senectutis fulcrum. At in quo tu spem tuam reponis, has tibi vires Deus dedit, ut huic Academiae egregio emolumento et ornamento esse docendo pergas. Unum speramus, unum enixe petimus: si quando per vires licebit, de suggestu sacro fac nos oris tui facundia fruamur!

Tibi autem, Clarissime DE GELDER! honorificum gratulor, quod nactus es, otium. Quo, utinam! in vegeta, qua es senectute, ad illos diu utaris labores, quibus hanc Academiam et Patriam adeo universam tam egregie tibi devinxisti.

Nec tu mihi praetereundus, Clarissime VAN DER BOON MESCH!

Professoris Ordinarii jam honore ornate! Quem tamen honorem non tibi magis, quam Academiae, gratulari, tua in disciplinam quam profiteris, merita jubent.

Huic autem Academiae bene imo vero optime esse, omnium loquitur etiam, quae magno numero habet, Institutorum ac Museorum admodum florens conditio. Horum enim singula, virorum cura clarissimorum doctissimorumque, quibus mandata sunt, ita crescunt aut certe vigent, ut magis in dies Academiae gloriam, artibus et disciplinis emolumentum, Patriae ornamentum egregium afferant. Sed lectam potius, quam hac horâ auditam, hujus rei expositionem vobis puto gratam fore. Unius Archaeologiae Museum laudo, cui scilicet jam tandem Aedes parantur tam splendidae tamque late patentes, ut Romanos Imperatores Aegyptiosque Reges, modo si Tiberim Nilumve nostrum feliciter trajecerint, post longam captivitatem, jam suos se repetivisse focos credam existimaturos.

Esse intelligitis, Auditores Humanissimi! quod de nostris bonis justo ac gratae mentis gaudio exsultemus. Eo magis autem non eorum oblivisci oportet, quae bona faustaque hoc anno aliis etiam Academiis evenerunt. Trajectinae sorori imprimis et hodie gratulamur alterorum secularium hilariter actorum felicitatem, et gratulabamur, cum praesentes interessemus, nullis non suavissimis rebus aures, oculos animumque pascentes: — ego maxime, qui, Universitatis Rheno-Trajectinae alumnus quondam, et Praeceptores ibi inveniebam ad rogum usque colendos, et dulces amicos. E quibus te, amicorum integerrime, Royaardsi! hoc die, hoc loco adspicere mihi est gaudio maximo.

Est profecto naturalis quaedam conjunctio, uti artium et doctrinarum, ita Academiarum in Patria nostra. Quam si vel

nescire possemus, adspiceremus illam in lectissima hac corona juvenum, qui et aliunde convenerunt, in certamine nostro victores. Ne tamen existimetis velim, suam caussam minus nostros egisse. Aliter sane rem sese habere, hoc tuus ille filius docuit, Clarissime TYDEMAN! cum Leidanae palmae nuper Groninganam adderet. Et vero omnibus id palam faciunt *Annalium Academicorum*, quae hoc ipso anno prodierunt, spissa volumina, majorem scilicet partem, ab Academiae Lugduno-Batavae elaborata discipulis laudatissimis, DOORNINCKIO, JUNIO, tuo filio, conjunctissime CLARISSE! BOOTIO etiam, TROMPIO et COBETIO.

Sed nostrorum ita virtutem laudo, ut ceterorum significem quanti victoriam faciam. Quare, Juvenes Optimi! sive Lugduno-Batavi estis, sive Trajectini, sive Groningani, sive Amstelodamenses, hilari animo ad me deinceps accedite, ut suum quisque nomen renuntiari audiet. Te itaque rogo, Cl. VAN ASSEN, ut Cl. PRUYS VAN DER HOEVEN, tristi de caussa absentis, locum teneas, atque Facultatum judicia recites.

JUDICIUM ORDINIS THEOLOGORUM.

»*Theologorum Ordini una tantum Responsio allata est ad Quaestionem*: »Ἁγιασμὸς, *qui et* καθαρισμὸς, ἁγνισμὸς, ἀνακαίνωσις *et* μεταμόρφωσις *dicitur, qualis sit, praesertim cum a* μετανοίᾳ *et* ἐπιστροφῇ *distinguitur, accurate, ex una Sacri Codicis institutione ostendatur.*" *Auctori vero praemium constitutum decerni non potuit; quoniam quaestionem ita tractaverat, ut difficultates ejus minus explicaret, quam suam ipse sentiendi rationem proponeret, et iis quidem, quae bene cogitata sunt, leviora nonnulla adjiciens. Sed ille tamen, cum judicio ac diligentia fecisset, ut disputatio, et multum*

contineret boni, et sibi egregie constaret, dignus habitus est, qui honorificum laudis testimonium acciperet."

Jam per Ephemerides invitatus, auctorem se professus est MACTHILDUS VAN STAVEREN, Theol. Cand. *in Academia* Groningana."

Tu igitur, Ornatissime VAN STAVEREN! Groningâ venisti, ut hunc Chorum duceres. Omnino recte fecisti. Non auri te adlexit fames, sed justa laudis et honoris cupido. Quamvis enim, quod tibi dare vellem, numismate careo, en publicum habeo, et tu jam habes, tuae virtutis testem. — Ipse audivisti honorificam Ordinis nostri de te tuoque labore sententiam... Laudat in te judicium et diligentiam. Hoc etiam in tua disputatione laudavit, quod egregie sibi constaret. At, vel me omnia fallant, vel haec ea maxime sunt, unde solent bona quaevis et praeclara oriri. Quare eodem hoc tramite pergas. Sic non tantum Academiae Groninganae ornamento, sed Ecclesiae aliquando emolumento te fore laetus auguror.

JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

»*Ad Quaestionem* Mathematicam *Ordo unam accepit Commentationem, symbolo ornatam:* l'Espérance me guide. *Missa sermonis et styli obscuritate, quae orationem intellectu adeo difficilem reddidit, ut vel iterata lectione auctoris sententiam suspicari vix possis, plurima nimia brevitate, alia, probabilia, justo prolixius exposita sunt. Auctor decem prioribus paginis in argumento suo tractando versatus est, at in reliqua parte commentationis animo indulget comparandis proprietatibus quibusdam circuli et hyperbolae aequilateralis, quod ar-*

gumentum longe alienum est a consilio quaestionis propositae. Verumtamen ipsa quaestio ad graviores novasque ducit contemplationes et ad simplicissimas discriptiones geometricas tactionum circulorum Apollonii Pergaei, *multaque ad alia aeque pulcherrima argumenta; quae omnia, si auctor rite datas aequationes tractasset, ab eo non animadverti non potuissent, quorumque explicatio ipsa quaestione postulabatur. Quum igitur auctor eorum nihil e datis aequationibus producat, nedum demonstret, quomodo lineae aequalium potentiarum describantur; Ordo judicat hanc commentationem nulli quaestionis parti satisfecisse, adeoque praemio indignam esse.*

Quaestio Astronomica *unicum obtinuit responsum, insignitum verbis:* Luctor et emergo. *Ordo hoc responsum, diligenter et accurate conscriptum, quaestioni positae egregie satisfecisse judicavit, atque adeo dignissimum, quod praemio condecoraretur. Auctorem se probavit* Gerardus Regnerus Fockens, *Math. et Litt. Cand. in Academia* Rheno-Trajectina."

Emersisti, Ornatissime Fockens! Nec mirum. Hac enim natandi arte a longo jam inde tempore es exercitatus. En tuae luctationis praemium! Jam vero, relictis hisce minoribus aquis, altum premas, tuaque Astronomia duce, per medias undas atque procellas, ad certum quemdam portum contendas feliciter!

»*Ad Quaestionem* Physicam *una oblata est Ordini responsio, his verbis munita* Rumfordii: Ce n'est qu'en observant avec soin, caet. *Quae responsio, etsi contineat auctoris diligentiae ac doctrinae specimina haud contemnenda, tamen, quoniam permultas easque gravissimas quaestionis partes intactas reliquit, Facultati praemio aureo non digna visa est.*

Ad Quaestionem e Chemia *duas Commentationes Ordo accepit, ita distinctas: prima verbis* Tibulli: Nec te poeniteat, duros

subiisse labores; *altera:* Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat.

Prioris auctor partes quaestionis plerasque omnes accurate tractavit, praecipuisque fontibus usus, cum artis Chemicae, tum historiae artis peritissimum sese praebuit, quam ob causam huic praemium aureum adjudicare Ordo non dubitavit. Auctorem se professus est et omnino probavit Coenradus Kerbert, *Medicinae Studiosus in Academia* Lugduno-Batava.

Alterius Commentationis auctor, quamvis laudabili consilio palaestram ingressus, propter tenues tamen et impares certamini vires comiter dimissus est."

Durus fuerit, quem subiisti labor, praestantissime Kerberti! at certo non ejusmodi, ut ejus te poeniteat. Hoc enim solenni die laetus experiris, improbum laborum omnia vincere. Audivisti, quid sit cur viceris? Argumentum tuum accurate tractasti. Ipsos adire fontes haud neglexisti. Historia denique tibi lux veritatis fuit. Sit igitur insignis haec victoriae palma tibi incitamento, ut, eodem modo, hanc Academiam ornare artique tuae, quoad ejus fieri possit, prodesse strenue ac feliciter pergas.

"*Ad Quaestionem* Zoologicam *unam tantummodo commentationem accepit Ordo, his* Cuvierii *verbis symboli loco adscriptis:* Ces mémoires n'eussent-ils d'autre objet, caet. *Quae scriptio auctoris tum in subtili anatome peritiam, tum elegantem et exquisitam doctrinam egregie probavit. Cum igitur in re dubia, de qua summi viri, rerum naturalium periti, inter se disputant, ea praestiterit auctor, quae a juvene vix expectari potuisset, illum praemio condecorandum esse censuit Ordo, et vero ultimum Annalium Universitatis nostrae volumen eximiâ hac disputatione ornare non dubitavit.*

Apertâ schedulâ nomen auctoris prodiit Margareti Cornelii Ver-

LOREN, *Medicinae Studiosi in Academia Rheno-Trajectinâ, qui dein, instituto examine, se hujus Commentationis scriptorem esse abunde probavit.*"

Aurum tibi do, praestantissime VERLOREN! justam tuae victoriae praemium. At auro pretiosius est, quod, in hac virorum laudatissimorum frequentia, et tu audivisti, et nos audivimus omnes, Philosophorum Ordinis de tuo labore judicium: ea scilicet te juvenem praestitisse, quae a Juvene vix expectari liceret. Macte virtute tua! Jam porro Parenti, viro spectatissimo, Praeceptoribus, Academiae Trajectinae, tuaeque arti ita gaudio sis et praesidio, uti doctam tuam disputationem ultimo Annalium Academiae Lugduno-Batavae volumini ornamento fore, aequi judices pronuntiarunt.

JUDICIUM FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LITT. HUMANIORUM.

»*Ad Quaestionem e Phil. Theor.* »*Quae fuit in singulis veterum Graecorum philosophiae scholis descriptio et constitutio* »*Perfecti Sapientis?*" — *Una Facultati tradita est Commentatio, signata his verbis* CICERONIS, *Tusc. I. 14, 32.* Quae est melior in hominum genere natura, caet — *Quae Commentatio, singulis partibus concinne et perspicue elaborata, ita placuit Facultati, ut eam praemio esse ornandam censeret. — Auctorem esse constitit* LUDOVICUM SUSANNAM PETRUM MEYBOOM, *Frisium Orientalem, Theolog. Studiosum in Academia Groningana.*

Ad Quaestionem Literariam una Commentatio tradita est Facultati. Quaestio haec erat. »Ex judiciis Romanorum, et ex »scriptis Historicorum exemplis, qui extiterunt inde a Syllae »Dictatura usque ad Augusti principatum, demonstretur quam »rationem historiae *componendae scribendaeque illa aetate »maxime probaverint." — Commentatio, quae his verbis* Vossii, *e libro de Arte Historica, signata erat: »abunde erit si »Momi dentem effugero:" iis verbis et rebus composita videbatur, ut ejus nulla plane ratio haberi posset."*

Hoc tibi adjudicatum est praemium, Ornatissime Meyboom! ob descriptam perfecti sapientis imaginem: qnare non aurum potissimum tibi gratulor, sed laetam imprimis, quam excitasti, spem fore, ut, sobrie et perspicue philosophando, ad veram sapientiam et ipse contendas et alios ducas. Hoc religiose agas. Sic germanus Philosophus idem eris et Theologus optimus!

JUDICIUM ORDINIS JURE-CONSULTORUM.

»Ordo Jure-Consultorum duas accepit Commentationes: unam distinctam Persii *versiculo:*

Rem populi tractas.......
Quo fretus?

alteram verbis Heerenii: »Mit allen Staatsformen an und für sich ist wenig gethan, wenn etc.

Neutra vero Quaestioni satisfecit. Etenim cum explicatio quaereretur loci de triade politica, prioris *scriptionis auctor operam posuit in variis de summo imperio in partes distribuendo sententiis recensendis;* alter *disputationem, quomodo locus constituendus videretur, affecit quidem, sed non explevit.*

Hic *porro in Cap. II, quae in Lege Imperii nostra de legifera, executrice et judicaria potestate earumque formis leguntur, atque argumenta, utrimque allata, retulisse contentus, disquisitionem, quam postulaverat Ordo, omisit.* Prioris *autem Commentationis scriptor hoc ipsum ita tractavit, ut summi imperii in duas partes distributionem veluti unice veram magis sumeret, et ex ea Legem Imperii nostram explicaret, quam triadem non admitti, probare ex ipsa Lege niteretur.*

Igitur praemium tribuere neutri Ordo potuit; diligentiam tamen, industriam, doctrinae praestantiam utriusque scriptoris publice collaudanda esse censuit. Atque prioris *scriptionis auctorem se professus est* C. VAILLANT, *J. U. Cand. in Academia Rheno-Trajectina; alterius* H. A. HARTOGH, *J. U. Cand. in Athenaeo Illustri Amstelodamensi.*"

Victorum agmen clauditis, Ornatissimi VAILLANT et HARTOGH! non quidem victores ipsi, at tamen invicti atque diligentiae, industriae, doctrinaeque praestantiae laudem consecuti. Majorum hae sint honorum primitiae. Quare, qua vos incepistis via, nunc ad altiora surgite.

Scio quidem; videoque esse inter vos, Generosissimi Juvenes! numero multos, in eamdem arenam descendere jam animo gestientes. At novum vobis indicere certamen decretum Regium vetat. Indicent autem hoc anno Groningani. Nos aliquando modeste sequemur.

Itaque hoc mihi extremum sit, ut Magistratus hujus Academici quicquid sive honoris est, sive oneris, jam in te devolvam, Cl. Uylenbroek, quem auctoritas Regia mihi successorem dedit. Hunc tibi Rectori honorem, te huic Academiae Rectorem gratulor. Bona et fausta omnia tibi ex animo apprecor. Te Rectore floreat Academia Lugduno-Batava!

DIXI.

ORATIO

DE

RELIGIONIS CHRISTIANAE INDOLE PRACTICA, UTI ANTEA SEMPER SIC OMNINO HODIE, MULTUM NEGLECTA;

HABITA

DIE IX FEBRUARII MDCCCLII,

AD ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE MAGISTRATUM
ITERUM SOLENNI RITU PONENDUM.

ACADEMIAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES-ADOLESCENTES, VOSQUE VIRI ERUDITIONE MUNERUMQUE DIGNITATE CONSPICUI, QUICUNQUE HAEC SOLENNIA NOBISCUM CELEBRARE DIGNAMINI! AUDITORES SPECTATISSIMI, HUMANISSIMI!

Solenni hoc die tam mihi esse felici contingit, ut Rectoris Academiae munus, post tria lustra, iterum deponere liceat fausto Numine gestum. — Fausto, inquam, Numine gestum! Nam, uti calamitatis ac detrimenti publici quidem expers hoc anno Academia mansit magno beneficio Dei, sic civium studiis simul atque frequentia floruit. Juventus autem haec Academica tanta se mihi probavit modestia, virtute, humanitate, ut omni sollicitudine hac ex parte Rector vacarem et Academia salva vel sine Rectore gubernaculisque fuisset. Quare Auditores! quod mihimet ipse gratulor, idem et vobis et Academiae et vero Patriae grates Deo laudesque agendi amplam materiam esse, id profiteor meam hoc die felicitatem augere.

Magistratus autem munere abituro, quum ex Majorum more hoc sit impositum oneris, ut festum Academiae diem celebret Oratione atque in medium proferat, quae Literarum, Patriae,

Religionis, temporis universe quod vivimus commodis et emolumento ipsi quidem videantur prodesse; — equidem conversis in aetatis nostrae rationem oculis, Divinaeque Religionis quae nunc est conditioni intentus, inde repetendam duxi, quam sumerem mihi coram vobis dicendi materiam.

Nec desunt profecto, quae tuto dicas *signa temporis nostri.* In his vero unum, quod neque vos effugit, quotquot Religionis ac humanitatis estis amantiores, neque meam non potuit advertere mentem eamque saepenumero suspensam tenere. Hoc volo A. A. eam nunc esse populorum vel cultissimorum conditionem vitamque moralem, ut sanctae Religionis vis benefica subinde misere lateat; et licet ea sit felicitas temporis nostri, ut revixerint apud innumeros homines Religionis Euangeliique amor ac studium, haec tamen sic revixisse, ut simul invaluerint rixae, renovatae sint factiones, et dominentur hodie ubivis plus quam theologica odia. Cujus rei tristissimae princeps saltem ac praecipua causa, cum in male intellecta et adhibita Religionis indole lateat, adeoque eadem illa sit, quae omni fere tempore rei Christianae cladem gravissimam intulit, operae omnino pretium facturum me spero, si hanc causam historice vobis explicandi periculum faciam. Dicam igitur: *De Religionis Christianae indole practica, uti antea semper sic omnino hodie, multum neglecta.* Dicam quidem, Humanissimi Auditores! non ut voluero, sed ut potero. At Dei auxilio vestrâque, dudum mihi cognitâ, benivolentiâ fretus, eâ utar animi dicendique libertate, quam uti rei gravitas, ita temporis, quod vivimus, necessitas et vero hujus Cathedrae Lugduno-Batavae dignitas et auctoritas postulant.

Duplicem autem argumenti rationem sic bipertita omnis sequetur oratio, ut statim quidem id, quod in Christiana Religione omnino summum est, pro viribus vobis exponam.

Quodsi affirmem igitur, divinam hanc Religionem omni sua

indole ac destinatione omnino practicam esse, scio quidem nil me inauditi vel insueti proferre, nihil adeo, cujus non ultro omnibus, sincere illam colentibus, clam insideat animi persuasio: at vel sic talia simul, quae et alio verti et contra meam mentem intelligi facile possint. Quare quo magis constet, quam agimus, caussa, ante illam definire paucis quam uberius explicare juvabit. — Quid igitur? An Christianae Religioni indolem practicam vindicans, illud jam ago, ut Divinam hanc Institutionem argumento ac principiis carere contemplativis aut theoreticis dicam; ut adeo omni jam Dogmaticae Christianae veluti nervos praecidam, eorumque hominum, si Dis placet, Christianorum audaciam tuear ac levitatem, qui, quid credat quis, aut quid verum divinumque habeat, modo bene si vivat, nihil referre contendant temere? Profecto, tunc demum recte id sapienterque dictum laudarem, si aut absque fundamento esse aedificium posset, aut stolidus ille, quem Divinus Servator domum suam aedificantem super arenam facit[1], esset maxime sapiens dicendus. At vero, in eorum ipsorum, quae solent theoretica et dogmatica dici, quaeque vulgo *Fidei Capita* audiunt, — in horum, inquam, indole et ad divinam Religionem ratione, omnis fere, quam hic agimus, quaestio vertitur. Ubi nimirum Christum, sapientiam et justitiam et sanctimoniam, et vero hac viâ redemptionem, a Deo factum nobis Apostolus dicit[2], jure meritoque principi loco hanc statim *sapientiam* laudavit, utpote quae, *mentem* maxime spectans, ea complectitur et suppeditat omnia, quae magnae rei initium faciant, quibusque porro et animo justitia et voluntati sanctimonia, et vero homini toti quanto suprema illa impertiri beatitas possit, quae, redemptionis nomine, omnem ejus spectat cum Deo reconciliationem. Hanc autem sapientiam sive theoreticam,

---

[1]) Mat. VII: 24. sqq. [2]) 1 ad Cor. I: 30.

seu alio nomine dicas, eam vero simul ita maxime practicam esse, ut hominis, in theoreticis vel parum exercitati, sit usibus accommodata salutique inserviat, nemo facile poterit in dubium vocare, nisi qui aut Christum Theologiam docuisse, aut ante sit Theologus quisque quam vere Christianus, perverse contendat. — Quare A. A.! quamvis, Religionem Christianam contemplativis superstructam notionibus harumque adeo uberiorem et dogmaticam explicationem maxime necessariam esse, ultro fatemur: ipsam Divinae Religionis indolem ideo omnem, *practicam* dicimus, quoniam in ipsa quidem Divina Institutione singula theoretica illa hactenus proposita tantum et veluti delibata occurrunt, quatenus faciant ad animum erigendum, — quatenus ipsi vitae instaurandae inserviant Deo Christoque dicatae, — eoque valeant unice, ut homo genusque hominum universum, vitiositatis ereptum imperio, ad moralem sui explicationem, ad similitudinem Dei, ad beatitatem adsurgat atque procedat. — Hoc igitur significamus, ubi ipsam divinae Religionis indolem, quodque ipsi a Deo est impositum munus, omnino practica et moralia dicimus. Quod quam verum sit, imo verissimum, nunc paucis juvat in memoriam revocare.

Et statim quidem ad antiquiorem illam Dei patefactionem, cujus V. T. libri nobis historiam servant, provocare licebit. Hujus enim argumentum, consilium, ratio omnis, quin sua indole mere practica sint, ecquis dubitaverit, nisi qui ἀνθρωποπάθειαν illam, ad quam, quae res divinas spectant, omnia et singula hic sunt proposita, negliget, neque quae a fronte ad calcem hic usque recurrunt, eo esse destinata videat, ut in oculos incurrat turpitudo mali moralis, ut hujus inter homines frangatur debelleturque imperium, verae vero Deoque gratae virtutis studium crescat et stabiliatur. — Theoreticum dicas

sublime illud: In principio creavit Deus coelum et terram!"[1] theoreticam, quae sequitur, et informatae telluris et creati hominis et originis peccati mox increscentis enarrationem: — theoretica item, quae Deum hic porro unum, omnipotentem, sanctum, justum, bonum, hominum praesertim amore ac misericordia plenum, perpetuo nobis ante oculos ponunt; — at videas, quam haec ipsa sint moralia maxime, eo nimirum dicta ac destinata, ut, Patris instar, aberrantes ab interitu filios suos homines Deus servaret, sui timore eos et amore incenderet, perque nullas non suae Providentiae vias Sui tandem similes redderet. Ut singula paucis complectar: ab aureo isto Dei ad Caïnum effato: »Nonne bene si egeris erectio est? Sin male, cubat ante portam peccatum! Hoc te sibi submittere ardet. Tu vere dominaberis ei![2]" ab hoc aureo, inquam, effato, per cuncta, quae continuata deinceps serie exstant: Patriarcharum native enarratas historias, instituta Mosaica, Davidis pii suspiria animi, Salomonis sapientiam, Prophetarum denique sublimia verba, ad ultimam illam, in qua Malachias desinit, orituri tandem *Solis Justitiae* annuntiationem[3]: — in hisce omnibus contemplativam, certam absolutamque divinarum rerum patefactionem sane frustra quaesiveris; at hoc unum dominari ubivis videbis salutare consilium Dei, ut Divinae sanctitatis ac beatitatis homo ipse particeps fiat.

Et his quidem de antiquiore illo tempore dictis, jam omnem videor mihi Divinae patefactionis indolem delineasse.

Non certe alium finem aliudve munus uberiori illi, non unius populi, sed hominum omni loco ac tempore omnium, per Christum institutioni Deus imposuit.

Ecce, adest tandem, quem pacis, quem justitiae antiqui an-

---

[1]) *Genes.* I: 1. [2]) *Genes.* IV: 7. [3]) MALEACHI IV: 2.

nuntiaverunt Prophetae auctorem[1], cujusque ultimus mox affuturae salutis praenuntius, »esse ejus in manu ventilabrum dixit, quo mundaret aream suam, ut segregato in horreum tritico, paleas igne combureret[2]!" Ecce, adest Divinus ille Divinae Religionis auctor, in cujus ineffabili erga genus humanum amore, in cujus vita omni omnibusque rebus, hoc unum semper ipsi propositum cernimus, ut superato vitiositatis inter homines fractoque imperio, hos idoneos redderet, qui sui instar ad veram animi vitaeque pietatem, ad moralem virium omnium explicationem, ad Dei adeo similitudinem adspirare possent atque procedere.

»Meliorem mentem induimini[3]!" en primam, omnia jam *complectentem*, Divini Servatoris ad homines vocem, qua doceret eos, ad sanctam, quam conderet, societatem patere aditum nulli, nisi per sinceram animi vitaeque emendationem. Eo se in mundum venisse consilio dixit, non ut abrogaret Dei legem moralem, sed ut melius sanctiusque illius observandae omnibus *per fidem* se ducem praeberet[4]. Sic omnes Regnum Dei eique congruentem probitatem, ceteris posthabitis, quaerere jussit, ut non sufficeret eum Magistrum ac Dominum profiteri[5], sed Patris Coelestis voluntatem facere eoque tendere »ut perfecti fierent, quemadmodum esset ille perfectus![6]" Sic adeo vitam suam deposuit, ut moriundo pro peccatis; nos ipsos peccato mori doceret. Et sic in vitam rediit, ut novae aeternaeque vitae in nobis studium aleret.

Hoc igitur modo Divinus ille non doctoris dogmatici munere functus est, sed ratione semper morali lucem ac servatorem mundi se praestitit. — *Deum* patefecit, non ut naturae ejus arcana interpretaretur, sed ut hominibus eum benignissimum *Patrem* monstraret. — *Filium Dei* se dixit, non ut suam, subli-

---

1) Jes. IX: 2. XXXII: 14, 15 vv. Jer. XXIII: 6.
2) Mat. III: 12. 3) Mat. IV: 17. Marc. I: 15. 4) Mat. V: 17.
5) Mat. VII: 21. 6) Mat. V: 48.

mem illam, cum Patre conjunctionem rimari nos cogeret, sed ut nos quoque per eum esse posse *filios Dei* doceret. — *Resurrectionem se vitamque* probavit, non ut futurarum rerum certam nobis absolutamque notitiam impertiret, sed ut vitae coelestis nos spe et expectatione firmaret. — *Fide* nos eum amplecti voluit, non ut longâ serie certa quaedam, vix intelligibilia, nobis credenda injungeret Doctrinarum atque Fidei Capita, sed ut nos ipsos omnes addictos sibi ac conjunctissimos redderet.

Hac autem via praeeuntem Dominum secuti sunt ejus discipuli et Apostoli. — De ceteris quidem, ex ipsius disciplina profectis, novistis A. A., quam nativâ ratione, omnemque aversantes subtilitatem dogmaticam, hi simplicem illam vitaeque accomodatam Christi institutionem in scriptis suis singuli referant, ita ut eodem jure Apostolus amoris Johannes, spei Petrus, vitae probae Jacobus dicatur, quo solet fidei Apostolus fere Paulus audire.

At vero hunc Paulum, multiplici Judaeorum imo et Graecorum eruditione imbutum, — hunc ita didacticum, ita dogmaticum, ut Theologiae Christianae unus fere soleat pater atque auctor haberi, — hunc igitur quis fortasse dicit prima, quibus Euangelium nititur, principia sic excussisse atque explicuisse ulterius, ut Religio Christiana, tamquam ex plebeja quadam simplicitate, ad philosopham subtilitatem plenitudinemque Theologicam, ipso auctore jam adscendisse censenda sit.

Verum nolite A. A. a nativâ ac mere practica Euangelii simplicitate sic aberrantem Apostolum vobis proponere. Profecto, immortalia sunt de Religionis doctrina viri praeclarissimi merita. Ecquis adeo est, qui negaverit, interiorem ac pleniorem Euangelii cognitionem ipsius maxime scriptis deberi? Nec tamen eo auctore factum, si Theologia, si res mere theoretica ac contemplativa innumeris, eheu! videri coeperit Christi Religio. Tantum hinc abest, ut in ipsa, quam ad Romanos scripsit Epi-

stola, didactices quamquam specimine summo, causam tamen mere moralem perpetuo et vero unice agat. Quaecunque adeo sint, uti in ceterorum Appostolorum, sic in PAULI scriptis, argumenti dogmatici ac theoretici loca, — ea volo, quae in systematica Theologia *dicta classica* et *probantia* audiunt, — ecce! ad unum haec omnia in oratione contexta leguntur, ubi auctor non explicationibus theoreticis vacat, nec doctoris dogmatici munere fungitur, sed vero ad pacem, ad misericordiam, ad constantiam, ad fidem, spem et caritatem Christianos hortatur [1]. — Reputent hoc, qui, in huiusmodi fortuito aliudque agendo dictis, nescio quid reconditi et absoluti requirunt. Nos certe *inde* discamus oportet, in scriptis quoque Paulinis, dogmata Religionis hactenus tantum commemorata et veluti delibata exstare, quatenus, quibus scripsit, hominibus, ad excitandam augendamque vitam vere moralem ac Christianam faciunt; adeoque ipsam illam, quam exhibent, theoreticam institutionem sua indole ac consilio omnem omnino practicam esse. — Sit igitur PAULUS suo jure Theologiae pater dicendus, hoc adeo, ad ejus exemplum, Theologi Christiani semper libere ac strenue agant, ut aeterna Religionis principia, omni adhibita cura ac sollicitudine, e suis fontibus repetant, errorum sordibus purgent, in clariore perpetuo luce ponant; hoc vero simul a PAULO discant sibique persuadeant omnes, vanam omnem Theologiae scientiam esse, nisi quae, per fidem, spem et caritatem, haec tria, per caritatem maxime [2], ad illam animi vitaeque ducat emendationem, qua alenda ac perficienda omne Euangelii munus spectatur.

Hoc superest A. A. Euangelium non doctrinam theoreticam aut dogmaticam, sed vero novae vitae fontem ac scaturiginem

---

[1]) E. Gr. MAT. XXVIII: 19. I PET. II: 22—24. III: 18. II *Cor.* VIII: 9. *Phil.* II: 6—11, al. [2]) 1 *ad Cor.* XIII: 13.

esse. — Quid igitur mirum, si Paulus suam ipse hujus Euangelii explicationem simplici »Institutionis ad pietatem" nomine dixerit, et contra eos quidem sic eam dixerit, quos cognitionis justo subtilioris studio ab illius simplicitate suo jam tempore aberrantes videbat[1]? Quid mirum, si ipsum divinae Religionis inter homines firmamentum, non contemplativam quamdam ac subtilem divinarum rerum cognitionem esse pronuntiet, sed vitam sanctam, qua, quicunque Christi velit nomine dici, Ipso duce, ab omni iniquitate discedat[2]. Hoc ipsum, recedere ab iniquitate, nec malo superari, sed malum vincere bono, virtutem, pacem et laetitiam colere in spiritu sancto, hoc ipsum dixit Regni divini participem esse[3]. Eo vero consilio apparuisse gratiam Dei declarat, ut instituat nos ad vitam sobriam, justam, piam in hoc mundo agendam, spe certa exspectantes futuram gloriae Dei, i. e. Jesu Christi Servatoris nostri, apparitionem, qui se pro nobis ideo dederit, ut liberaret nos ab omni iniquitate, sibique ipse populum vindicaret bonis operibus deditum[4]!

O benefica Euangelii lux! O salutare Deoque dignissimum Religioni Christianae impositum munus! Cui et nos debemus quicquid solatii est, quo indigeamus in hujus vitae caducae miseriis; quicquid auxilii et incitamenti, quo inditas nobis a Deo moralem indolem viresque explicare possimus atque perficere; quicquid denique boni, cujus, sive in hac sive in futura vita, nobis esse participes liceat!

Utinam semper id perpendissent, quibus summum hoc contigit beneficium Dei, mortales! Non sic intacta nuce manducare putamen tentassent, spretave margarita in una concha haesissent. Non tot numero rixae, lites, odia, dissidia acerbis-

---

[1]) *Τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ.* I *ad* TIM. VI: 3. sqq. [2]) II *ad* TIM. II: 19. [3]) *ad Rom.* XII: 21. XIV: 17. [4]) *ad* TIT. II: 11. sqq.

sima homines luce Christiana beatos turbassent ac dilacerassent. Neque videretur saepissime divina vis Euangelii inter homines desiderari!

Haec tristior sane A. A. cogitatio animum subit, ubi jam eo se vertit Oratio, ut, quod in Religione summum est, quomodo id, per seculorum decursum, hominibus fuerit acceptum, declaret. Hanc nimirum mihi causam agenti, profecto non laudatoris aeque atque historici partibus fungi licebit.

Nec tamen laudis laetitiaeque materies, imo vero maximae, deest. Nam quis tandem est humanarum rerum tam parum diligens observator, qui non magna et ineffabilia agnoscat, quae Religioni Christianae hominum genus jam prope universum debeat? Ecce, jam omnem mundi hujus faciem et conditionem mutavit. Novus cum illa seculorum iam natus est ordo. Quodsi adeo, ne perversis quidem hominum studiis labefactata umquam, semper vel obscurata luceret, multumque degenerata a sua indole, tamen fructus magno numero saluberrimos ferret: profecto eo nunc divinior nobis Religio erit, unde, vel invitis hominibus, tot tantaque bona jam emanarunt.

Hanc vero insitam ipsi divinam vim celebrantes, non tamen possumus non, Christianam Religionem tam sui saepe dissimilem resarciendisque humani generis malis imparem factam, lugere.

Cujus rei causae, quamvis aliae sunt bene multae, A. A. — quibus sponte ac necessario factum, ut lente demum, perque nullos non casus, ad majorem perfectionem processerit, — haec tamen princeps, quod qui, per seculorum decursum, hanc suo singuli modo colebant religionem mortales, ex illius fonte alia potius omnia haurire studuerint, quam ea maxime, quorum ipsa fontem se ac scaturiginem dicat. Eo usque nimirum, nil nisi nova ac sublimior rerum divinarum ac me-

taphysicarum patefactio eâ contineri Christianis in genere visum est, ut, hujus fere unice subtilius explicandae ac vindicandae studio occupati, negligerent interim ac saepe despicerent, quicquid praesidii et emolumenti ad ipsius vitae viriumque moralium explicationem benignissime largitur haec institutio Dei.

Hoc vero si nunc meum est, paucis delibatis, ipsius historiae voce probare, tristis fateor agenda mihi caussa incumbit; at, si »Magistra vitae" vere Historia dicitur, ita utilis, ut necessaria prorsus.

Eo tamen tristior, quo citius hic, quem volo, morbus religionem Christianam invasit.

Jam ipsum Paulum, novistis, contra sui temporis Dogmatices arrogantiam acriter monuisse [1]. Quo autem jure hoc fecerit, quantumque Euangelii simplicitati ac fructibus nocuerit ista hominum male curiosorum omnia rimandi libido: id quidem, quae fluxit inde Christianismi Orientalis miserrima ratio, eheu! luculenter testatur. Sive enim Gnosticorum familias magno numero varias spectes, sive Manichaeorum late patentem ac bene ordinatam Ecclesiam: omnes et singulos reperies quidem, suâ phantasiâ elatos, in Christi religione sublimia quaevis: Coelorum numerum, Universi origines, Animarum ortum, Mali causam, Christi jam anteactam vitam, alia, a Christianorum usibus vel remotiora, quaerentes: — at unum illud, quod in Euangelio tamen summum est, turpiter negligentes; quo nimirum vitae hominum verae eique aeternae excitandae inserviat ac perficiendae. Sic adeo verioris virtutis Christianae omni notione isti Orientales carebant, ut moralem hominis emendationem, non in hâc vitâ agendam vel adsequendam, sed a futuris demum post mortem purgationibus expectandam esse, persuasissimum sibi haberent.

---

[1]) I *ad* Timoth. VI: 20. v.

Sed provida Numinis factum est cura, ut, procedente Religione, ex Oriente ad Graecos propediem princeps verterit Euangelii inter homines sedes. Est nimirum efflorescentis inter Graecos Ecclesiae haec potissimum virtus ac gloria, quod, debellatâ Orientalium aberratione, suis finibus circumscribere accuratiusque jam definire et exponere ipsam Religionis doctrinam ejusque placita coeperit. — At videas, quaeso, quantum Graeci isti, hâc viâ ulterius progredientes, novae suâ vice auctores exstiterint aberrationis. Suo enim abrepti studio philosophandi, ipsam Divinam Religionem tamquam Philosophiam tractant. Humana cum Divinis audacter confundunt. Nil ipsis arduum. Arcana Dei tentant. Quod vero pejus: Sacrae licet Paginae finibus longissime excedentes, non tamen sibi singuli, sed aliis omnibus Christianis, videntur sibi philosophari. Eo usque processit in conscientias hominum dominandi libido, ut, determinatis temere, quae nec Deo visum est revelare, tamen quid credendum de iis esset, praescriberetur singulis Conciliorum auctoritate. — Sic igitur, inter Graecos primum, Christiana, quae dicitur, nata est Theologia. At sic ipsius Divinae Religionis omnem occupavit haec humana Theologia locum. Euangelii enim, ejusque indolis omnino practicae, tam altum interim est hisce Graecis silentium, ut libris argumenti critici, dogmatici, polemici quidem Orbem repleverint, moralis vero ac vere practici vix ullum post se reliquerint. Quid quaeritis? Fervor dogmaticus et polemicus omnium et mentes occupat animosque incendit. Dilacerantibusque Ecclesiam litibus mere theoreticis, ecce, frigescit fides, languet virtus, exsulant pax atque caritas, et facilis, eheu! novae Mohammedis religioni paratur victoria.

Quare A. A. si bono Dei consilio factum est, ut Orientalium in Ecclesia principatus antea Graecis cederet, haud certe minori ejus beneficio accidit, ut hos sua vice Latini exciperent. Hi

enim, quod jam CICERO ait: »omnem virtutis laudem in actione ponentes", in Ecclesia quoque, non philosophantes se produnt, sed Religionis placita ipsi vitae hominum usibus accommodantes. Mittunt aversanturque tricas illas ac spinas disputationum, quae Graecis placebant. Non difficiliora Theologiae aut Christologiae Capita tentant, unam vero Anthropologiam Christianam et Ecclesiae disciplinam, Graecis neglectas, diligunt atque colunt. Lites quidem non sic arcentur. At quo fervore de Trinitate Christique naturis certarunt perpetuo Graeci, eodem de Peccato, de Poenitentia, de Ecclesia, de auxilis Gratiae Dei, semper fere Latini. Libros reliquerunt dogmatici argumenti omnino paucissimos, moralis vero ac practici tantum non omnes. Ex his adeo prodiit, qui inter Christianos omnium primus *Morum doctrinam* data opera scripsit, AMBROSIUS. Ut verbo dicam: nihil relinquunt intactum, ut ipsi vitae ac moribus Religio prosit.

Utinam vero, quod magno sic agebant ardore, id semper recte fecissent eoque processissent ulterius, ut in luce collocata divina vi Euangelii, hanc non externae tantum vitae rationi regundae, sed morali atque internae hominis adhibuissent emendationi. Hujus tamen rei periculum quidem fecerunt, sed levius illud et omnino irritum. Pietatis exercitia magno sane numero adsunt et religiose coluntur, sed pietatis arbitrariae ac fere externae. Non quid Deo, quid proximis, quid sibi, sed quid sit praestandum Ecclesiae, quaeritur. Haec una enim omnem occupat, apud Latinos, ipsius Euangelii locum. Novum sic servitutis jugum Christianis imponitur. Christiana exsulat libertas, cum libertate ipsa verior moralitas omnis. Virtutis vitaeque Christianae non nisi umbrae ac fere spectra supersunt. Communi autem invalescente Religionis, vitae, morum depravatione, ecce, huic ipsa omnis, in capite atque membris, ita subest Ecclesia, ut jam evenire videatur, quod aliquando dixit Servator: »vos estis sal terrae, si vero sal saporem amisit, quid erit, quo saliatur?"

Nec tamen amiserat, neque melioris, aliquando affuturae, rationis spes et exspectatio deëst. Expergiscitur tandem, latens dudum, quem in fortissimis istis de stirpe Germanica populis Divina Religio excitaverat, sensus vere moralis. Urit eos, cujus ipsi participes sunt, conscientia mali. Quamque in se, in aliis, in universa qua late patebat Ecclesia, dominantem deplorant vitae Christianae deformitatem, hanc propellere omni studio ac labore nituntur.

Magnae rei sic initium ducitur. — Sed ardua, quae sunt pulcra. Trium ferme seculorum certamine omniumque animorum opus est agitatione, ut, debellatis Scholasticismi, *Mysticismi*, Superstitionis et Hierarchiae viribus, ingens illa in lucem prodeat Ecclesiae Instauratio, quam Seculi XVI initium vidit. Haec autem nunc suo se jure *Reformationis* antiquo nomine dixit, utpote quae ex moralis indigentiae fonte omnem suam originem trahens, etiam morali maxime Ecclesiae instaurationi ipsa se destinatam sentiebat. Missis enim ceteris disputationum dogmaticarum ambagibus, profligatisque magno numero vitae vere Christianae impedimentis, claris contra et perspicuis verbis salutis viam in hoc uno omnibus monstrat: »Gratis a Deo per repositam in Christo fidem hominem justificari"! Hanc vero fidem, simplicem illam atque practicam, sic ipsius Euangelii voce vindicat et commendat, ut, non novorum Dogmatum, sed vero Novae Vitae innumeris jam longe lateque ducem et effectricem se praestet.

Sic igitur inchoavit Reformatio moralem illam, quam in spe et votis habebat, Ecclesiae emendationem. Cur minus perfecerit illam, neque ipsa perrexerit satis Euangelii indolem moralem tueri: hoc A. A! nostro imprimis tempore haud inutile est commemorare.

Reformatores nimirum, laudabili instituto in unam vim Religionis practicam intenti, illas continuo vindicaverunt doctri-

nas, quae viderentur sibi cum Euangelio hominisque natura ac salute conjunctissimae esse. Ceteras vero abstrusioris Theologiae partes, — neque rejicientes eas temere, nec data opera corrigentes, — sic reliquerunt intactas, ut tacite superessent, atque antecedentium temporum theoretica dogmata tantum non omnia, — quicquid per seculorum decursum Ecclesiae, potius quam S. Literarum, invaluerat auctoritate, ipsum Symbolum Pseudo-Athanasianum, — tamquam verae et indubitatae Religionis doctrinae, in Protestantium quoque Theologia sensim paulatimque locum suum recuperarent.

Hujus quidem rei PHIL. MELANCHTONIS *Loci communes* nobis esse indicio ac testimonio possunt. In prima nimirum praeclari hujus operis, quod Ecclesiastico Canone dignum ipse LUTHERUS censuit, editione, sic omnem emendatae exposuit amplitudinem Theologiae, ut, missis leviusve perstrinctis, quae Trinitatis Christique naturae spectant Mysteria, locis, ea modo uberius declaranda in illam susciperet, quae hominis cum Deo spectant per Christum reconciliationem. »Quid enim profuit nobis", inquit, »Scholasticorum per tot jam secula in Mysteriis istis desudantium cura"? »Hoc vero est Christum cognoscere, beneficia ejus cognoscere, non, quod alii volunt, naturas ejus cognoscere vel modos incarnationis."

At sic quidem MELANCHTON, nec dissentiente LUTHERO, dum juvenili adhuc vigore spectabilis suaeque indolis omnino practicae conscia sibi Reformatio erat. Quantum vero hanc suam mutaverit naturam, id vel repetitae eorumdem *Locorum Communium* editiones testantur. Sic enim perpetuo, emendatae scilicet, prodeunt, ut habitum induant magis magisque mere dogmaticum, nec tandem vacui sint ullo eorum, quae Graecorum olim philosophandi subtilitas practicae admiscuerat Euangelii simplicitati.

Hinc vero, hinc, A. A. tamquam ex Pandorae quadam pyxide, quam tristia, quam adeo turpia prodierint, utinam, salvâ His-

toriae veritate, in aeterna posset oblivione latere! At felix, quem aliena faciant pericula cautum. Exstant enim publice, unde nostra, unde sequior saltem aetas sapientiam discat: lites acerbissimae illae at infructuosae, de Dei arcanis inter ipsos Protestantes nunc agitatae. Exstant dira illa de Antitrinitariis sumpta supplicia, SERVETI imprimis miserabile fatum. O! rem incredibilem semperque lugendam! Inquisitorum haereticae pravitatis munere jam ipsi illi nunc funguntur homines Reformationis luce beati! Ad flammas damnatur, non Euangelii adversarius, non qui Christi beneficia respuit, sed qui alio, quam Ecclesiae olim placuit, modo, interpretandum censet mysterium *Dei*. Ecce, rogo jam adstat. Pie genua flectit. Christum Servatorem ac Dominum invocat. »Jesu Christe", inquit »aeterni Dei fili, miserere mei!" Christiane precatum eum fortasse dixeritis. Aliter vero, qui, consolaturus scilicet, morienti adstabat, pius tamen ille atque doctus, FARELLUS. Christum »*aeternum*" profiteatur »filium Dei", moribundum hortatur. Hoc vero se, salvâ conscientiâ, posse miser ille SERVETUS negavit. — O imbecilla, O coeca ingenia hominum! O sui jam dissimilem Ecclesiae Reformationem! Quae nimirum intermortuam vim atque indolem Euangelii practicam in vitam esset revocatura, haec sua vice, haec ipsa sic in dogmatismi vitium labitur, ut dati sibi a Deo muneris jam omnis nescia videatur.

Alia commemorare supersedeo sententiarum divortia, reviviscenti tamen vitae vere Christianae eo nunc perniciosiora, quo propius doctrinas illas mere practicas tangebant, quas primum in lucem protraxerat Reformatio. Ipsam Coenam Domini, eo institutam consilio, ut amoris omnibus divino vinculo esset, irarum fuisse, novistis; discessionis aeternique fere odii caussam. At ceterae quoque, quae hominem, ejusque conditionem miseram, propositamque ipsi salutis viam spectant, gravissimae Euangelii doctrinae, — hae ipsae, ad unam fere omnes, ita nunc magis magisque Dogmaticorum expertae sunt

curas, ut morali sua indole atque virtute, magnam certe partem, destituerentur. Imo haud defuerunt brevi, qui orthodoxam Ecclesiae doctrinam ulterius perpetuo explicantes, cum eo procederent temeritatis, ut »peccatum originis" ipsam hominis substantiam bonaque opera ad salutem esse noxia perhiberent, omni jam virtuti ac pietati Christianae revera viderentur nervos praecidere.

Et sic quidem, imperium capescente Dogmatica Theologia, Moralis contra atque Practica neglecta omnis ac fere spreta jacuit.

Reformata Ecclesia, fateor, hôc suo nomine ita semper haud omnino indignam se praestitit, ut moralem Euangelii et Reformationis indolem diligentius coleret perpetuo ac tueretur, neque doctrinae tantum aut fidei, sed vitae imprimis integritatis curam haberet. In Lamberto Danaeo, nascentis nostrae Academiae lumine, virum adeo tulit, qui *Ethices Christianae* data opera excultae omnium primus exemplum satis egregium poneret. Verum neque hujus, neque aliorum prohibuerunt labores, quin »Pietatis exercitatio", quamquam Reformatis maximi semper facta, tamen invalescenti inter ipsos quoque Dogmatismi imperio magis perpetuo locum cederet. Quod quidem eo minus mirari subit, quoniam vel ipsius *Catechismi Heidelbergensis*, aurei quamvis illis quidem temporibus libelli, factum est auctoritate, ut Christiana virtus vitaeque sanctitas, omnis adeo moralis animi vitaeque hominis emendatio atque perfectio, non tamquam primum ac princeps haberetur, ad quod Christus ipse, per fidem sibi habitam, omnes erigere atque adducere vellet, sed vero tamquam subsequens quid ac secundarium, e grati nimirum animi sensu, quoad ejus fieri possit, derivandum.

De Lutherana vero Ecclesia nolite quaerere. Haec enim eo usque omnis in dogmatica ac mere theoretica nunc aberravit, ut »Theologorum Ecclesia", potius quam Christianorum, iis quidem temporibus, et videretur et esset. Cujus rei testimonium,

eheu! habemus in Georgio Calixto, summo sui temporis viro; quem verioris Theologiae, inprimis vero *Moralis Disciplinae* auctorem hodie quidem Germania celebrat, quoniam, quod, ante quinquaginta jam et quod excurrit annos, Danaeus in Reformata Ecclesia egerat, idem ille nunc primus inter Lutheranos suos periclitatus est. Ecce vero, non impune Calixtus perversam illam ac frigidam Theologiae suo tempore rationem debellare instituit. Haereticus, imo vero pessimus, tantum non omnibus visus est. Nam ad Christianam virtutem hortari, moralemque hominis perfectionem urgere, hoc scilicet erat contra Ecclesiam peccare; utpote quae, male intellectâ et adhibitâ Pauli doctrinâ, per solam fidem hominem justificari volebat. Eo nunc pejor et abjectior facta est Disciplinae moralis, imprimis inter Lutheranos; conditio. Theologi enim sic illam spernere vulgo ac despicere pergunt, ut, illius docendae honore Philosophis relicto aut Jureconsultis, ipsi in Systematica sua Theologia hactenus tantum Legem Dei moralem exponant, ut, peccatorum sensui conscientiaeque morsibus acuendis potius, quam virtutis studio alendo ae corroborando, a Deo illam datam esse docerent.

Quid plura? Redierunt nunc tempora, quibus orthodoxa ratione sentire, imo caeca fide amplecti acriterque vindicare quicquid Ecclesiae olim statuisset auctoritas, majori longe solebat pretio aestimari, quam verae virtuti studere unumque Christum fidei vitaeque ducem et antesignanum sequi.

Frustra placent innumeris Jacobi Speneri, viri summi, »Desideria pia.” Frustra aliorum ubivis parantur practicae religionis contra sterilem hanc Theologiae rationem vindicandae conatus. Lites omnium futilissimae et numero multiplicantur et acerbitate crescunt. Ipsa generosiora vitae Christianae instaurandae studia in pietatem hoc tempore abeunt mere asceticam atque morbosam; dum contra Dogmatismi severitas apud innumeros fidem alit,

ferventem quidem imo et pugnacissimam, at, nisi fraudulentam minusve sinceram, saltem servilem magis et mere externam, quam aut vividam aut Christianae sanctitatis nutricem. Quid mirum, si vel nostras ille, veteris tamen traditionis dogmaticae admodum tenax, BERNARDINUS DE MOOR, ante seculum fere, ex hac ipsa Cathedra Oratione habita Rectorali, tam multa quereretur, *in sui temporis Theologia plane nimia esse;* nec diu post, liberalioris ille ingenii EWALDUS HOLLEBEEK, *Theologum non orthodoxum nisi vere pium esse*, ex hoc ipso loco moneret: Superfuerunt adeo ex illo tempore memoriâ nostrâ Theologi, doctrinâ ac pietate omnium maxime clari, at Theologiae, in qua per maximam vitae suae partem desudaverant, ita taedio capti, ut quicquid aeterni quidem pretii illi inesset, id vel in Oboli superficie conscribi posse ingenue faterentur.

Quid mirum igitur, si multis ludibrio haberi temporibus istis Theologia coeperit, neque tantum Catholicos inter, sed vero et Protestantes, quod aberrantis Ecclesiae et Theologiae erat, hoc ipsi Religioni jam vitio verteretur.

Novistis A. A. qualia seculo exeunte secuta sint tempora. Turbatis nimirum per universam fere Europam Ecclesiae pariter atque Reipublicae rebus, ipsa, spreta multis, divina Religio videri poterat periclitari.

Ecce vero, communem hanc populorum miseriam optimam iis medicinam esse voluit misericordia Dei. Non sine horrore nunc vident multi, quorsum ducat iste rerum divinarum contemtus. Quemque temporis infelicitas jam excitaverat, Religionis indigentiae sensus, hunc redditae populis Dei beneficio pax et securitas mire augent atque confirmant.

Et sic nostrâ quidem memoriâ Religionis rediit Christique Euangelii amor. In integrum restituuntur multa, quae temporis injuriâ ceciderant, instituta Ecclesiae. Ad hanc, tamquam ad salutis portum, defessi nunc confugiunt populi. Novus adeo Christianos alere intus et agitare videtur isque divinior spiri-

tus. Revixit innumeris fides. Literae Sacrae omnium expetitae studiis florent. Libertas ipsa meliorem Religionis notitiam fovet. Theologicae autem disciplinae sic ceterarum hoc tempore disciplinarum felicitate auxiliisque fruuntur, ut earum nulla jam sit, cujus non ubertas ac plenitudo longissime superet quicquid praeterita tulerint Ecclesiae secula.

Utinam vero, quae sic revixerunt divinarum rerum amor ac studium, nil nisi quod ipsis in laudem vertatur, nobis ante oculos ponerent. Unde tamen quam procul absit, id profecto aequus ac diligens quisque sui temporis observator non sine dolore fatebitur. Quid? quod longum sit enumerare singulas easque diversissimas formas, quibus sanctissimae Religionis abusus, sive Catholicos inter, sive apud Reformationis patronos, nostro sese tempore prodat.

Quodsi autem ejusmodi nunc longe lateque pietas invaluit ac ratio Religionis, quibus pro suae singuli Ecclesiae placitis atque ritibus, tamquam pro aris et focis, strenue dimicant; — si spretâ recentiorum temporum luce ad medii aevi superstitiones Catholici, ad Reformatorum formularumque jam obsoletarum auctoritatem Protestantes confugiunt; — si paribus passibus et criticorum temeritas et mysticorum hominum fanatismus et insania crescunt; — si dogmatismus novum in hominum animos vitamque sibi imperium arrogat; — si Ecclesia, si Theologia, ipsius Religionis et Euangelii locum sibi denuo vindicant; — si qui maxime orthodoxi ac pii sibimet ipsi videntur, aut videri aliis volunt, liberalioris *ingenii* Theologos, docte tamen ac pie Sacram Disciplinam colentes, canum instar adlatrare haud desinunt; — quid plura, si rixae, si contentiones, si discidia vigent, si mutua Christianorum odia crescunt, si fratrum quoque concordia rara est: — profecto A. A. haec omnia nobis esse indicio possunt, quam multa desint vel laudatissimis hisce temporibus nostris, nec certo moralem atque practicam maxime Euangelii indolem esse, quae

nunc prae ceteris omnibus soleat Christianis curae cordique haberi. Quibus vero si et testimonium accedit, triste illud, sed publicum, quod de magno, eheu! virtutis ac vitae indolisque Christianae inter populos tantum non omnes defectu horum dierum turbae politicae exhibent; — ecquis diffitebitur tandem, idem illud, quod multum perpetuo defecisse ante nos tempora vidimus, cujusque defectus tot numero mala rei Christianae intulit, haud parum quoque vel hodie desiderari.

Causam egi A. A. tristiorem, fateor, at quam, jubente animo, mea mihi proposueram Oratione agendam. Audivistis nimirum, quod omnis, eheu! historia clamat, id quidem, quod in Christiana Religione didacticum ac dogmaticum aut sit, aut videatur, sic per omnia fere tempora hominum advertisse mentes ac tenuisse animos, ut contra, quod in omni Religione, Christiana vero maxime, omnium facile princeps est praecipuoque loco colendum, negligeretur multum, imo vero intactum saepius ac fere spretum jaceret. Quam profecto Divinae Religionis inter homines sortem, quis tandem paulo esse humanior ac religiosior poterit, quin deplorandam censeat intimisque animi sensibus doleat? Hinc enim factum, ut neque ipsa omni, qua pollet Divina atque benefica vi semper spectabilis esset, neque in homine explicarentur a Deo inditae ipsi facultates morales, quibus explicandis demum atque sacrandis δύναμις εἰς σωτηρίαν a Deo nobis factum est Euangelium[1].

Verum ne sic quidem suâ causâ in terris Christi Religio cecidit. Vel invitis hominibus, semper divinam semperque beneficam se omnibus praestitit. Quod vero nunc maxime no-

---

[1]) *ad Rom.* I: 16.

strum est observare; per magnas illas hominum aberrationes, sic saltem ad meliorem sensim in terris progressa est conditionem, ut ipsa illa moralis ejus vis ac praestantia, quamvis saepenumero latens prorsus, tamen occulto cresceret et vero magis deinceps sese adspectabilem faceret.

Et hoc ipsum est A. A. quod nostri potissimum temporis nos consideratio doceat. Sit ita, multa, eheu! et hodie desiderari, quae spem faciant, jam fore tandem ac fore brevi, ut Euangelium Christi nativa sua simplicitate hominum animis sese commendet, eoque sic valeat, ut moralem tandem sui videat Ecclesia instaurationem. Hujus tamen desiderio ac veluti expectatione hoc imprimis, quod vivimus, tempus teneri, id profecto cum alia bene multa nostrae aetatis signa atque instituta loquuntur, tum inprimis philanthropica illa, quae, incredibili fere numero ac mire varia, hodie quidem sic ubivis locorum crescunt ac florent, ut turpissimae saltem humanitatis maculae aut pudori jam sint, aut evanescant. Ecce, suae veluti moralis pertaesa imbecillitatis, illud jam aetas nostra summo studio molitur agitque, ut, remotis ac rescissis iis, quae diu hanc imbecillitatem fovebant, in lucem protrahat atque adhibeat, quicquid sive ad explicandum ipsum hominem faciat, sive ejus virtutem possit veramque salutem augere. Hoc vero studium, uti ex ipsius Religionis Christianae fonte vel tacite ac sponte fluxisse censendum est, ita et porro hujus maxime Religionis opem et auxilium impense flagitat.

Unde intelligitur A. A. nisi me omnia fallant, quid maxime sit, quod a Divina Religione tempus quidem nostrum, ceteris fere omnibus posthabitis, postulet.

Ita nimirum Christi Religio pergat miseris nobis in vita ac morte Divino solatio esse, et ita clarius semper simpliciusque nos Divinam veritatem docendo procedat, — ut omnium maxime simul ipsa insitam sibi moralem vim ac praestantiam mortalibus explicet, et vero sic explicentur, crescant suamque vim

omnem exserant, quae intus in homine latent, moralis perfectionis ac praestantiae semina!

Apage igitur reviviscens illud, at vitae vere Christianae hominumque saluti nocentissimum semper, dogmatismi in Divinam religionem imperium! Apage quicquid perversa ac coeca hominum studia, per tot jam seculorum decursum, Euangelii admiscuerint simplicitati! Vitae autem dux nobis atque magistra sit vel ipsa illa, quam commemoravimus, Ecclesiae reique Christianae historia, ne ad obsoletas lites doctrinasque aetas nostra redeat, uti canis ad vomitum; sed vero evitare, effugere, abhorrescere discat, quaecumque tam diu, eheu! Divinam vim Religionis arcuerint. Pergant igitur Critici, pergant Interpretes, pergant Dogmatici, ceterique pergant Sanctioris Disciplinae cultores, in Divinae Religionis fontem, argumentum, indolem, vim omnem et auctoritatem, omni adhibita sollicitudine, libere, docte ac pie inquirere. Suoque sic jure, — quod tu vindicasti nuper, Cl. VAN HENGEL! — inter ceteras Academicas Disciplinas suum digne tueatur Christiana Theologia locum! At vero Christiani discant ita doctis hisce laboribus uti, ut neque Theologiam denuo confundant cum Religione, neque Fidei aut Religionis Capita verique nominis Dogmata Christiana, nisi modo ea habeant, quae pertinent ad σωτηρίαν; quae vim omnino moralem atque practicam spirant; quae ex Christi mente ad veram animi vitaeque faciant emendationem; quaeque Regni Coelestis, ab Ipso conditi, inter homines, et vero in nobismet ipsis, incrementum spectant et explicationem.

Ut verbo dicam: in doctrinis vere practicis unitas, in minus practicis libertas, in omnibus prudentia et caritas! haec aurea, haec sancta, nobis nostroque tempori lex atque regula esto! Ita demum veniet illa hâc nostrâ melior aetas, ubi nihil omnino fidei erit, quod non sit vitae, uti nil vitae, quod non sit fidei; ubi silentibus tandem dogmaticorum litibus semper infructuosis, omnium Christo fidem haben-

tium, quamquam non una mens atque sententia, tamen unum erit cor et anima una; ubi, Divinae veritatis studio et cognitione crescentibus, incrementa maxime capiet Dei, Christi atque hominum amor; eamque sui tandem videbit Christi in terris Ecclesia reformationem, qua fiat, ut Christianorum vita sancta apud omnes Divinae Religionis sit probatio atque defensio optima!

Superest, Humanissimi Auditores! ut postrema muneris mei parte defungar, cum vicissitudines commemorando, quas hôc, me Rectore, anno Academia vidit, tum peragendo quae festus hicce dies solemnia postulat. Utrumque autem a me dicente vobisque audientibus vultus hilares gratosque Deo animos poscere, id quidem in ipso jam orationis limine dixi, meam hoc die felicitatem augere.

Et statim Illustrium hujus Academiae Curatorum grata subit gaudiique plena cogitatio animum: quos nimirum et vitae omnes et vero rebus nostris, uti solent, strenue invigilandis, a Deo servatos impense laetamur. — Te autem, Nobilissime van Limburg Stirum! quem novum Civitatis consulem Academia nunc salutat publice, eumdem huic Curatorem congratulari, uti meus me, sic omnium Professorum atque Civium Academicorum, in te animus jubet. Cujus enim tu ipse aliquando es veluti lacte nutritus, hanc te diligere matrisque instar colere semper, animi tui pietas et integritas nescire nos vetant. Quare ex tuo quoque patrocinio, vir Nobilissime! nulla non bona ac fausta Academiae laetus auguror. Faxit vero Deus iis te omnibus frui, quibus feliciter possis splendido in te delato munere fungi! Diuque vivas, in Civitatis bonum, Academiae Lugduno-Batavae emolumento!

Est hoc A. A. Rectori, munere suo abeunti, ipsa legis literâ scriptum, ut Professorum, anno Academico vita functorum, pie memoriam celebret. At, o felicem Academiam! o me Rectorem felicem! cui nimirum triste hoc parentandi officium nunc praestandum est nemini. Vivitis enim omnes, Viri clarissimi! sic vivitis atque valetis, ut quas dedit vobis Deus vitam viresque, prolatis etiam ad communem notitiam scriptis, dicare pergatis juventutis Academicae commodis, Reipublicae literariae incremento, Academiae emolumento ac gloriae. Hoc autem si, grata Deo mente, vobis omnibus gratulor, Collegae Honoratissimi! iis certe vestrum haud infimo loco, quos, aetatis causa jam otium honorificum nactos, vel sic tamen salvos vigentesque gaudemus, imo hôc fruentes insigni beneficio Dei, ut vel in senectute floreant, atque Academiae, Literis, Patriae sese utilissimos praestent.

Quod, ut absentes sileam, tibi dictum sit, Celeberrime Tydeman! in cujus dictis, scriptis, factis juvenilem pene vigorem desideramus numquam, cuique diutinam vitam a Deo exoptamus in tuorum atque Patriae bonum!

Quî autem te silere nunc possem, Conjunctissime van Hengel! qui quantopere pergas semper mandatam tibi Spartam tueri, et *Commentarius* ille tuus nuper editus probat, quaeque indefesso studio nova opera paras et porro diu testificatura speramus. Quid mirum, si viro tam alacri tamque studiosae juventuti, Academiae, Ecclesiae utilissimo semper, a Rege successor nondum sit datus? Nos certe, qui te in Facultate Collegam diligimus et maximi facimus, te tibi unum optimum fuisse successorem gaudemus. Velit autem Deus sic porro tibi vitam viresque largiri, ut per multos etiam annos et nobis supersis et Theologorum in Patria Nestor tue jure omnibus audias!

Et te omnium nomine coram nunc alloqui magno mihi gaudio est, Cl. Reinwardt! Quam enim, die x Junii, privatim tibi

gratulabatur Senatus, gratulabanturque magno numero amici, cultores, discipuli in patria omnes, Professorii muneris memoriam jam quinquagenarii celebratam, hanc festo hoc die, grato animo, sic recolimus publice, ut nulla non pro vita tua atque salute Deo vota feramus.

Haec autem vota et te prosequuntur, Jane van der Hoeven! Vir Celeberrime! Quae nimirum tibi felicitas contigit, ut quintum Professionis lustrum omnibus plaudentibus perficeres in magnum disciplinae, in qua regnas, et Academiae emolumentum, omnibus nobis excitat desiderium fore, ut, quod Reinwardtio datum est, totidem et tibi ea, quae effluxerunt, professionis tuae lustra sequantur.

Utinam et te hilari nunc vultu affari liceret, Conjunctissime van Oordt! At tecum doluimus et dolemus adhuc dirissimam illatam tibi cladem domesticam, qua novimus, qua vidimus, te dimidiâ tui parte orbatum. O fallacem hominum spem fragilemque fortunam! Eâ tu cum filio felix eras felicitate, quam optima conjux marito, optima mater filio donat, cum, ecce! corruit illa, veluti fulmine icta, — fulmine tamen ejusdem Optimi ministro Dei, qui, quae abstulit, dederat, sic vero dederat, ut et daturus sit cuncta, quibus, qua incepisti Christiana fide, tuam possis sortem tristissimam ferre, novisque viribus Academiae atque Ecclesiae fulcro esse et ornamento!

Venio A. A. ad Instituta Academiae publica, ditissima illa, quibus pollet, literarum doctrinarumque armamentaria veluti atque praesidia. De his tamen eo nunc pauciora in medium proferam, quo mihi major visa est, quas hoc anno experta sunt, vicissitudinum paucitas, et quo difficilius Rectori annuo, de omnibus, quae evenerunt singulis, sive ipse certior fieri, sive ea ratione, quae singulorum poscit disciplinarum gravitas, aliis dicere. Quare hoc in votis est, ut meliori tandem via juris publici fiant, quae, qui singulis praefecti sunt,

Viri doctissimi, singulis annis solent ad Academiae Curatores docte et accurate referre. Utinam possent instaurati jam *Annales Academici*, quorum primum volumen nuper prodiisse laetamur, his quoque usibus sic inservire, ut nova ratione singularum disciplinarum incremento prodessent! Mihi certe nunc sufficit A. A.: — Bibliothecam nostram publicam laudasse, non ut de imminutis subsidiis querimonias, quamquam justissimas, habeam, sed ut Geelio, V. Cl. publicas omnium referam gratias pro eximia cura, qua *Librorum Mss. qui ab A. 1741 ad Bibliothecam accesserunt*, nobis descripsit Catalogum; — Legatum Warnerianum vero, ut doctissimo Antonio Kuenen, discipulo et nostro nuper in paucis caro atque egregio, *Adjutoris Interpretis hujus Legati* delatum ipsi munus gratuler; — Museum porro Anatomicum, ut Curatorum curam ac benivolentiam celebrem, qua, *Prosectore* creato Joh. Adr. Bogaart, viro doctissimo, anatomica studia mirifice adjuvasse censendi sunt; — Museum quoque Artis Statuariae et Chalcographicae, ut Cornetsium, Pictorem laudatissimum, Regia auctoritate huic Museo praefectum, salutem publice: — Museum denique Numarium, non ut vobis nummos computem, quibus, insigni sane numero, hoc anno auctum est, sed ne te ingratulatum dimittam, Cl van der Chys, de eximii praemioque ornati laboris tui parte prima nuperrime edita, ejusmodi quippe, ut vel sola Teyleriano auro videatur dignissima.

De ceteris vero Museis nostris hoc vobis, vel me tacente, persuadeatis velim, ea omnia, nisi crescunt perpetuo, at certe valere adeo, ut singularum disciplinarum studiis eximie prosint.

Haec igitur A. A. haec sunt magna illa, quibus Academia, quibus nos omnes, Dei beneficio, hodie fruimur bona! Vos

vero maxime, Lectissimi Literarum Disciplinarumque Studiosi! qui tamen ipsi imprimis, non insigni tantum, quâ nunc estis frequentiâ, sed vero studiorum vitaeque ratione omni, haud infimo fuistis, hoc anno, felicitatis Almae nostrae Matris addilamento.

Luximus vobiscum et proximis quatuor ex vestro ordine juvenes, in his nuperrime praeclarum JOANNEM JOSIAM DE LANGE, praematura flebilique morte exstinctos[1]. Eo ardentiores autem nunc gratias agimus Deo, qui vos, magno numero omnes, Vestris, Academiae, Literis, Patriaeque servavit. Ita vero servavit duxitque, ut, si vel juvenilis forte foras prodierit petulantiae specimen, longâ tamen serie testimonia exstent, quae, quot quantaque sint in vobis tantum non omnibus bona atque egregia, luculentissime probent. Mihi certe, Optimi Commilitones! sic omnes vestram probavistis humanitatem eamque perpetuo in vobis vidi studiorum alacritatem morumque bonitatem, ut publice fatear, vestram maxime virtutem impositum mihi onus, non levasse tantum, sed vero gratum fecisse ac placidissimum.

At quid verbis opus est, ubi rerum testimonia adsunt? Non defuerunt enim doctissimi juvenes, quos, e suis scholis dimissos, ad quorumvis officiorum munera paratissimos, Academia hoc anno Patriae tradidit. Neque defuturos dein, id praesagiendi nobis copiam facit Certaminis Literarii exitus, quem nunc meum est promulgare.

Quî tamen procederem eo, nisi celebratis ante Regis Augustissimi, cum munificentiae, tum vero propensi maxime in stu-

---

[1]) Obiit G. H. DE KOK; Med. Stud. 9 Febr. 1851. — A. C. J. HELDEWIER; Jur. Stud. 3 Oct. 1851. — W. C. A. DOZY; Jur. Stud. 30 Oct. 1851. — J. J. DE LANGE; Jur. Stud. 1 Febr. 1852.

dia studiosamque hanc juventutem animi, laudibus. Novistis enim, quousque a Majorum liberalitate nostri temporis defecerit parcimonia, bene multis jam abrogatis aut sensim paulatimque deletis, quae ad promovenda humanitatis studia tam egregie facerent. Nec defecit tamen noster ille, PRIMI suboles GUILIELMI, ARAUSIACUS! Non ille, qui dixit: Aeque glorioso suo vexillo carere Patriam posse quam Academiâ suâ inclytâ Lugduno-Batavâ! Quare et vos, Generosissimi Adolescentes! carere certamine noluit, quo, non sclopetis sagittisve dimicare discatis, sed vero ad generosa ac nobilia contendere omnia.

Et sic igitur, novo exemplo, auctoritate nimirum Regis GUILIELMI III, ornare mihi vos praemio licet, quibus in hujus anni Certamine Academico esse victoribus contigit. Ne tamen existimetis velim, vel victos praemiove carentes nunc illaudatos a me dimitti. Novistis enim: *et in magnis voluisse sa est.* Et vel me omnia fallunt, vel ipsa Ordinum Judicia docent, et victos vos, certando tamen, futuras aliquando vobis jam instruxisse atque parasse victorias. Te igitur V. C., qui Senatus acta nunc curas, humanissime rogo, ut haec nobis Judicia recites. Vos vero, Generosissimi Adolescentes! ut suum quisque nomen renuntiari audiet, ad me deinceps accedite.

JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Anno superiori Ordo studiosae juventuti hanc qnaestionem e Zoölogia proposuerat:

»Quaeritur Crustaceorum terrestrium et fluviatilium, quae in »patria nostra reperiuntur, enumeratio systematica, addita »unius saltem speciei ex Lernaeaceis aut Caligidis descri»ptione anatomica et historia, aptis iconibus illustrata."

Ad quam quaestionem non nisi unicam commentationem accepit,

hoc lemmate inscriptam: »The real progress of natural History etc. (Forbes.)" *Hac in commentatione quaedam reperiuntur quae ab ipso quaestionis argumento aliena videntur; praeterea parti anatomicae icones minus laudabiles additas esse dolet Ordo. De quaestione tamen universa ita scripsit auctor, ut et doctrinam, et in universa Crustaceorum historia peritiam, et in investigandis rebus naturalibus industriam Ordini eximie probaverit, ipseque omnino dignus visus sit, qui praemio ornaretur. Aperta schedula nomen inscriptum vidit Ordo ornatissimi*

LEONARDI ALEXANDRI JOHANNIS BURGERSDIJK,
Math. et Phil. Nat. nec non Medicinae
Candidati in hac Universitate,

qui dein, instituto examine, sese hujus commentationis auctorem esse Facultati abunde probavit.

Macte virtute tua, Ornatissime Burgersdijk! Audivimus enim omnes, quantopere in te laudaverit Ordo, et doctrinae copiam, et disciplinae tuae peritiam, et vero rerum naturalium investigendarum ardorem atque industriam. At haec ipsa sunt illa, quae laudatissimum aliquando te informare possint Naturae Interpretem! Quare, quâ incepisti viâ, tu nunc strenue pergas. Regis autem augustissimi nomine hoc aurum accipias, non magis jam acti laboris pretium, quam agendi porro atque ad praeclara omnia contendendi studii incitamentum.

Ad quaestionem ad Physices disciplinam pertinentem Ordini una oblata est Commentatio, vernaculo sermone scripta et distincta verbis: Trado quae potui.

In parte historica hujus commentationis scriptor accuratissimam Electricitatis Galvanicae scientiam ita probavit, ut Ordo nihil fere quod reprehenderet inveniret. Altera pars, quae ipsius scriptoris investigationes continet, quamquam non ab omni parte est absoluta, tamen tanta diligentiae, ingenii et Physices studii recte instituti specimina continet, ut iniquus sit, qui a juvene majora aut meliora exspectare velit. Itaque lubenter Ordo commentationem et justis laudibus et praemio Regio exornavit.

Scriptorem vero se professus est et se esse probavit

JOANNES BOSSCHA Jr.,

In Acad. Lugd. Bat. Math. et Phil. Nat. Candidatus.

Gratum mihi est, praestantissime BOSSCHA! te, laudatissimi celeberrimique Patris ipsum jam laudatum filium, mihi ex hoc loco salutandum esse publice praemioque ornandum. Quod ut tibi, ita et Parenti tuo, viro mihi aestumatissimo, ex animo gratulor. Tu vero jam hoc omni virium agas intensione, ut, bono cum Deo, non tantum eruditi nominis tui celebritatem tuearis semper atque sustineas, sed ut Patriae, Literis, tuae imprimis Disciplinae magis perpetuo ornamento sis et emolumento!

JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITT. HUMANIORUM.

Ad quaestionem ex Litteris Graecis:

»Emendentur ex scriptoribus classicis Graecis quinque et »viginti minimum loci depravati, singulaeque emendationes »probenter et demonstrentur sermone Latino ad eam for»mam et elegantiam, cuius exemplum luculentissimum est »in MURETI Variis Lectionibus."

Ordo accepit commentationes duas.

Altera *insignita erat versu Theognideo:* Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν εἰδότες οὐδέν· *id est* ducimur homines vanis opinionibus nec scimus quidquam; *quam sententiam veram esse videtur commentationis auctor de semet ipse coniecturam fecisse. Namque etsi in Graecis scriptoribus lectitandis et in Platone ante omnes multum versatus est, etsi tantum iudicio valet ut locos male habitos sagaciter indagare possit, etsi multorum locorum labem probabiliter demonstravit, tamen operi, quod suscepit, erat impar, quoniam non illa valebat antiqui sermonis Graeci scientia et usu, ut in singulis locis emendandis, id est in ipsa scriptoris manu reponenda, omnes veritatis numeros absolvere posset: itaque in corruptela certa vanis opinionibus ducitur, et incertas proiicit coniecturas, non manifestas emendationes ex ipsa loci sententia, usu scriptoris, lectionis denique reliquiis elicit.*

Praeterea quod Mureti exemplum ei propositum erat ad imitandum ita neglexit, ... ut etiamsi caetera luculenta fuissent vel hac una de causa nulla eius ratio haberi potuisset.

Contra altera *commentatio, cui symbolum erat:* Es irrt der Mensch so lang' er strebt; *multis nominibus Ordini placuit et visus est auctor id ipsum assecutus, quod in hoc genere ab adolescente optimum exspectari et sperari poterat. Apparuit eum optimum quemque scriptorem Graecum diu ac multum trivisse et eo ingenio natum esse ut quod esset in egregiis scriptoribus maxime egregium penitus persentisceret ac totus Graecarum Litterarum amore arderet, deinde rationem et usum Graecitatis accurate tenere, ut quod esset* Aristophane, Thucydide, Platone, Xenophonte *et aequalibus indignum certis indiciis deprehenderet et quod ab eorum manu profectum esset evidenti correctione reponeret. Apparuit eum circumspecto iudicio ea delibasse quae certa viderenter et convelli non posse: in qua re quamquam eum subinde ratio fugit et*

nonnumquam correctionem effudit, quam delebit dies quamque ipse aliquando repudiabit maturiore iudicio et maiore etiam Graecitatis usu ex assidua lectione collecto, tamen in magno numero locorum, quibus medicinam criticam adhibuit, plerosque ita persanavit ut illas emendationes nulla umquam poenitentia aut oblivio obliterare possit.

Denique quae acute et ingeniose reperit, ea orationis venustate et lepore ornavit, ut rerum praestantiam sermonis suavitas fere aequaret. Muretum autem sic imitatus est ut (quod maxime Ordo in Mureto commendando spectaverat) lectoris animum festivitate quadam iuvenili et urbanitate oblectaret, nec ieiune correctiones adnumeraret, quod ei feliciter cessit non sine multa cura et labore, ut videtur; nam facile apparebat eum Graecarum Litterarum aliquanto peritiorem esse quam Latinarum.

Huic igitur praemium decernitur. Aperta schedula prodiit nomen ornatissimi

GEORGII BIRNIE,

Litterarum Humaniorum Candidati, Theologiae Studiosi in Academia Lugduno-Batava.

Salve mi Birnie! Non tu inopinatus mihi es victor, uti nec inopinata eximia laus, qua te vel magis ornavisse mihi videtur Judicium Ordinis, quam decreto tibi, quod nunc Regis nomine accipis, victoriae praemio. Quare ego laetor, mi Care! haud minorem inesse tibi modestiae ac pietatis, quam aut doctrinae, aut ingenii, aut Conjecturarum capiendarum solertiae copiam. Hinc enim ego fore laetus auguror, ut non tantum laudes tuas animo semper feras aequabili, sed quo te vidit Ordo ingenio natum, ut quid sit in egregiis scriptoribus maxime egregium penitus persentiscas, eodem et Sanctioribus, quibus destinatus es, Literis cultorem perpetuo maxime praeclarum te et eximium praestes.

JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ordo JCtorum duas ad disputandum posuit quaestiones, alteram de Vectigali Oresundico, *ad quam nemo respondit, alteram* de concinnando ex Ciceronis scriptis specimine Institutionum Juris Civilis in artem redacti κ. τ. λ.

Ad quam una Ordini responsio oblata est hoc notata symbolo: »was ich gewollt, ist löblich." *Visa est haec disputatio ita se sua commendare praestantia, ut ejus auctor nemini non laudum aemulo dubiam fecisset victoriam. Vehementer placuit Ordini idonea materiae distributio, judicandi solertia et magna doctrinae copia ex conjuncto litterarum et Juris Civilis studio diligenter comparata.*

Quare Ordo non dubitavit commentationis hujus scriptori praemium decernere.

Resignata schedula auctor repertus est

JACOBUS ANTONIUS FRUIN,

Juris Candidatus in Academia Lugduno-Batavâ.

Nulli tibi superandi fuerunt competitores, praestantissime Fruin! Sed eam Ordo Jureconsultorum in tuo scripto observavit praestantiam, ut nemini non laudum aemulo dubiam fecisses victoriam. En igitur debitum tibi atque decretum victoriae praemium! non tamen tibi magis, quam Commilitonibus, incitamento, ut, ad tui instar, illâ singuli doctrinae copiâ crescant, quam, ex conjuncto scilicet Literarum et Juris Civilis studio diligenter comparatam, non sine magno animi gaudio in te nunc audivimus praedicari.

Summopere vellem, Generosissimi Juvenes! nunc quidem novam vobis indicere opportunitatem certandi. Id tamen non nobis nunc datum est, sed, vicibus factis, indicet illam propediem Academia Rheno-Trajectina. Hoc vero vos, precor, agatis, ut certatores, imo victores, Leidenses proximo quoque anno haud frustra quaerantur.

Igitur hoc unum restat, ut Academiae magistratum in successorem, quem a Rege mihi datum esse jam audivistis, nunc publice conferam. Itaque tu Cl. VERDAM! hoc honorifico tuo munere sic fungere, auspice Deo, ut ex meis votis nulla non bona et maxime fausta tibi contingant. Sic, et te Rectore crescat porro ac floreat Academia Lugduno-Batava!

Ita tu faxis, Pater coelestis! Tibi pro omnibus beneficiis in hanc Academiam, in me, hoc anno, hoc die, collatis, gratias ago ex imo pectore, quas habeo maximas.

Tibi sit laus, gloria, honos!

DIXI.